FLORA ROMANA

D. JOANNIS FRANCISCI MARATTI

ABBATIS VALLVMBROSANI

OPVS POSTVMVM

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITVM

TOM. I.

ROMAE
TYPIS JOSEPH SALVIUCCI
MDCCCXXII
Praesidum facultate.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
PIO PAPAE VII

MAVRITIVS BENEDICTVS OLIVERIVS

ORDINIS FRATRVM PRAEDICATORVM

FELICITATEM.

Aliquot codices manuscripti de re ***botanica*** *agentes , Beatissime Pater*, ***ad manus meas,*** *a bibliopola empti, pervenerunt .* ***Cum illos e-volvere coepissem,deprehendi autographas esse***

lucubrationes celebris Viri Joannis Francisci Maratti Romani Abbatis e Monachorum Vallisumbrosae instituto, qui diu Horto Medico Botanico Romani Archigymnasii praefuit, ubi practicas Botanices tradebat institutiones: Romanam autem regionem per quamplures annos suis excursibus visitavit, ut Floram Romanam colligeret. Quam quidem modo italico, modo latino sermone, modo ista, modo illa methodo disposuit, atque ad Linnaei etiam distributionem adduxit, juxta quam ab anno, quantum conjicere valeo, circiter 1772. *jam ad praelum paraverat.*

Quomodo contigerit, Beatissime Pater, ut tandiu jacuerit, me latet. In quorum manus post auctoris mortem devenerit: per quos denique ad bibliopolam delata fuerit, ignoro. Ast, sapientum virorum judicio, hujusmodi profecto est, quae publici juris fieri mereretur. Itaque de editione, sub Sanctitatis Tuae auspiciis a memetipso suscipienda, consilium cepi. Quod Tu, pro singulari tua clementia, non es dedignatus.

Accipe igitur, Beatissime Pater, hanc Floram Romanam, quae dum acrem ingenii auctoris vim, indefessos labores, et miram diligentiam ostendit, quid Romae jam quinquaginta ab hinc annis in hujusmodi studiis perfectum esset, demonstrat. Tibi porro omnino debetur, qui et reliquis disciplinis, et Botanicae quoque prolixe favisti, atque, praeter alia beneficia, horto longe ampliori, et commodiori, eidem excolendae nunc opitularis.

Ego autem, Beatissime Pater, qui offero, tua benignitate ipsi Archigymnasio, ad quod auctor pertinuit, ab anno 1804. *publicus professor pro Lingua Sancta tradenda fui cooptatus. Me deinde, aliis muneribus auctum, Supremae Sacrae Congregationis Commissarium esse jussisti; ut grati animi nunquam interiturum hoc ipsum optem esse documentum. Ad tuos pedes provolutus precor ut mihi apostolicam benedictionem elargiaris.*

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Cum *Auctor suae* Florae Romanae *illa praefatus fuerit, quae operis a se suscepti rationem reddunt, et fines sibi praestitutos declarant, pauca mihi addere de Auctore ipso, atque editione satis erit. Anno* 1747. *Maratti noster Horti Botanici Archigymnasii praefecturam et Botanicarum ostensionum cathedram suscepit. Qua autem virtutis, et doctrinae fama vel tunc gauderet, id munus ei collatum demonstrat. Praestat hic nonnulla excribere ab Oratione ejus inaugurali inedita, quam die* 22. *maii illius anni* 1747 *in Horto academico medico habuit „ Inter caetera, ait, innumera illa quidem, ac maxima, quibus celeberrimam illam Romanae Sapientiae sedem est (Benedictus XIV.) prosecutus, beneficia, illud imprimis eminet, quod, postquam Physices doctrinam nova methodo, atque accersitis ab ipsa natura experimentis locupletavit, Botanices quoque theoreticae studium exornavit, ac novam etiam et distinctam practicae cathedram, quae prius aderat, restituit, ad ipsius medicae artis usum, quam prae caeteris munificentissimus Princeps in sinu, ut ita dicam, atque in oculis gestat. Etsi vero quam plurimi, iique peritissimi viri clementissimo Principi non deessent, qui magna cum laude ac dignitate ei cathedrae praeficerentur; me tamen qui et ingenii mei infirmitatem, et virium imbecillitatem optime sentio, eligere summa cum benignitate non dubitavit.* " *Haec*

Auctor, qui etiam signavit, sibi illic disserenti tunc inter auditores adfuisse cl. mem. Cardinales Valenti Gonzaga, S. R. E. Camerarium, a secretis Benedicti XIV. et Guadagni Vicarium. Unde profecto intelligimus, sapientissimum Pontificem suorum praecipuorum administrorum praesentia novum professorem honestare voluisse.

Cl. Martelli nostro Auctori ob obitum successisse an. 1777. *habemus a Renazzi, qui de ipso haec scribit in Historia Rom. Archigymnasii Tom.* 4. *p.* 262. „ *Era gran conoscitore in genere di piante, d'erbe, di radiche. Quando si appressava l'autunno, soleva fare escursioni nelle campagne di Roma, e arrampicandosi sulle adiacenti montagne in traccia di nuove piante, e di erbe non conosciute, sempre tornavasene provvisto, di qualche ignota produzione botanica per arricchirne l'orto Romano. Di qualcuna anche ne pubblicò colle stampe la descrizione e gli usi medicinali*"

Aliqua reapse vivens edidit nempe: Descriptio de vera florum existentia, vegetatione, et forma in plantis dorsiferis, sive epiphyllo-spermis, vulgo capillaribus Romae 1760. apud fratres Salvioni. *In* 8. *cum tabula.*

Ejusdem Opusculi apologiam hoc titulo: Botanophili Romani ad cl. Vir. Joannem Christophorum Amadutium Ariminensem Epistola, qua cl. virum Joannem Franciscum Marattium ab Adansonii Galli censuris vindicat. Romae ex aedibus meis Kal. Octobr. 1768. *in* 12.

Plantarum Romuleae, et Saturniae in Agro Romano existentium specificas notas describit inventor D. Joannes Franciscus Maratti etc. Romae 1772. typis Archangeli Casaletti *in* 8. *cum tabula.*

Joannis Francisci Maratti etc. De plantis Zoophytis et lithophytis in mari mediterraneo viventibus Romae 1776. typis Archangeli Casaletti *in* 8.

Ex hisce operibus postremum praecipue clarum reddidit nostrum Auctorem. Maxima tamen Lucubratio, cujus reliquae tanquam pars aliqua erant, Flora Romana *censeri debet, quam, prout ex ejus Praefatione patet, juxta methodum Linnaeanam dispositam, jam ad praelum paraverat. Olim methodo Tournefortiana usus fuerat. Plantas etiam, juxta initiales earumdem literas, aliquando disponere sibi proposuerat. Imo adhuc existit ejus volumen italico sermone conscriptum, isto, quod nunc editur, aliquanto prolixius, in quo methodo sibi propria, ex illis Riveti, Tournefortii, atque Linnaei simul junctis efformata, de Plantis agit. De hujusmodi suo cogitato in quadam Scheda sic ait: „ Ho stimato bene, in descrivere le piante, unire tutti tre li sistemi in uno . . . Al primo aspetto fo vedere la forma de' loro fiori: dipoi il numero de' loro petali, stami, ed apici, e la forma anche e numero delle loro tube, o pistilli, e frutti, parti tutte permanenti, e non variabili, proprie di quel dato genere. Distribuisco le piante qui descritte in classi: ad ogni classe assegno di-*

stintamente i loro generi, e a questi le loro specie, e varietà. Qui non descriverò, se non le piante da me ritrovate ne' miei viaggi Botanici, le quali nascono nell' Agro Romano " Hujusmodi opus adhuc Praefatione destituitur : postrema autem Classis, quae est XX. de Fungis, *vix incoepta conspicitur.*

Pro nostra adornanda editione duo exemplaria ipsius Auctoris manu exarata praesto fuerunt. Quae licet sint fere ubique parallela ; aliqua tamen in aliquibus varietas reperitur. Alterum vernaculas plantarum appellationes frequentiores habet. Istas non omittere pluribus lectoribus utile futurum visum est. Rursus alterum aliqua additamenta posterioribus profecto nostri Auctoris inventis, aut curis respondentia continet. Quae pariter editioni accesserunt. Quo ad herbarum tamen virtutes medicas, quae in hoc saepe fusius exponuntur, aliqua parsimonia, quam forte nonnulli majorem aliquando optavissent, servata est.

Ex hisce duobus exemplaribus prius anno circiter 1769. *exaratum ex eo colligitur, quod Romuleam (V. n.*101.*) in contextu habeat, non vero Saturniam (V. n.*704.*). In opusculo autem, quod de hisce plantis edidit anno* 1772. *memorat (p.3.) utrasque a triennio circiter a se inventas fuisse. Ast id opusculum citatur in altero exemplari, quod hinc eodem anno* 1772. *vel paulo post paratum videtur. In istis Auctor addidit de Romulea, eam vegetare Februarii, et Martii mensibus etiam ad Testaceum, et extra januas D. Pancratii, et Portuensem, in herbosis.*

Ad nos minime attinet de Operis pretio disserere. Ejus edendi consilium praeclari sane viri probaverunt: inter quos praeteriri silentio non debet Cl. de Matthaeis, medicinae professor, operibus egregiis jam editis notus, qui etiam rem cum celebri Brocchi communicavit, ejusque suffragio suum communivit. Reverendissimus item Bellenghi Monachorum Camaldulensium Vicarius generalis, qui sua inventa ad colores omnigenos e plantis indigenis obtinendos pluribus lucubrationibus in lucem produxit, de aliis etiam harum plantarum ad usus oeconomicos utilitatibus disseruit, hanc editionem non solum laudavit, verum etiam suorum inventorum summa augere voluit. Prae caeteris commemorari meretur Thomas Prelà Sanctissimi Pontificis Archiater, qui ob veterem probitatem, morum suavitati, eximiaeque religioni, atque pietati conjunctam, et ad amicitiam mire comparatam, jamdiu animum Editoris sibi devinxit. Sibi autem scire, librosque optimos, et perpulchros magna copia sibi comparavisse minime contentus, nihil disciplinis promovendis conducens a se alienum putat. In Botanices vero, de qua hic agitur, progressus sic cogitationes adjecit, ut aliquem aptum botanicis peregrinationibus instituendis, ac herbis docte colligendis, novo publico munere addictum, optaret, atque obtineret.

Ergo Illustrissimus Archiater in Monastici Instituti decus, in Archigymnasii gloriam, in Urbis ornamentum, in qua ab instauratarum literarum epocha

clari Botanices cultores, quales, ut aliquos nominem, Panaroli, Caesalpinus, Princeps Fridericus Caesius, Triumfetti, Fabri celebrantur, alii post alios excellere non desierunt, atque adhuc excellunt, ast potissimum in ipsius Botanices incrementum, Florae Romanae *Maratti edendae stimulos addidit.*

Decem porro elapsi fere sunt anni ex quo Editor illam acquisivit, atque in publicam lucem producere optavit. Tempora tamen infesta erant. Opportunitate deinde per Sanctitatis Suae reditum laetiori eam cogitationem in praestantem, doctorum hominum commendationibus permotum, virum, se transtulisse gaudebat. Adhuc tamen post quinquennium frustra. Nunc tandem editionem per seipsum ipsemet suscepit.

Reliquum est, erudite lector, ut tuae humanitati sphalmata, quae industria vix praecaveri possunt, corrigenda commendemus.

PRAEFATIO AVCTORIS.

Quod jampridem post varias Botanicas meas peregrinationes, factasque in iis multiplices Plantarum observationes, longo quadraginta annorum intervallo, elucubrare Opus mihi praefixeram; ipsique perficiendo manus admoveram, amicorum nunc denique postulatis, pluriumque illustrium in Botanica virorum hortationibus ut morem geram, in publicam proferre lucem deliberavi. *Florae Romanae* titulo nuncupandum existimavi: cum enim objectum habeat accuratissima descriptione recensendi eas Plantas, quae in Agro Romano uberrime vivunt, in territorio scilicet vulgo Patrimonii terrestris ac maritimi, nec non Latii pariter terrestris ac maritimi (Territoria quidem vasta lateque extensa, atque illis undequaque ditata Vegetabilibus, quae in externis germinantia regionibus a nostra non parum dissitis exquisita diligentia a doctissimis Botanicis inibi degentibus notata fuerunt); idcirco eo nomine inscribenda omnino esse videbatur. De plantis Romanis disserens, de illis praecipue sermonem habebo, quas peculiari studio praefatis in itineribus observare mihi datum est. Si quidem integram absolutamque Plantarum omnium in laudatis ditionibus vegetantium exarare audens recentionem, salebrosam utique ac periculosam suscepissem provinciam, quippequi modo publicis, modo privatis distractus

officiis, negociisque, nequaquam profecto valuissem singulis anni tempestatibus ubicumque praesens esse ad maturas explendas indagines, easque opportune describendas. Nemo igitur me reprehendat, aut mihi jure succenseat, quum aliquam forte Plantam inveniet, quae plurimas a me peractas effugerit inquisitiones. Benevolo enim amicoque animo condonare id poterit accuratis iteratisque laboribus, quos libentissime insumpsi, ut nostra vegetabilia rectò ac perspicuo disponerem ordine, facultates adnecterem, quas medica schola, meaque probatas habuit experientia, novaque tandem patefacerem Botanica inventa, quibus ad hanc usque diem literaria respublica fuit penitus destituta. At de systemate cogitans, cujus ratione Plantas coordinare, certâque methodo disponere valerem, anceps profecto suspensusque haerebam; quis enim ignorat, quot quamque varia invecta jam fuerint Botanicae systemata? Qua de re maturo instituto super singulis examine, optimum duxi Linnaeanam amplecti disciplinam, utpote recentioribus magis acceptam. Tali pacto systema D. Linnaei probe noscentibus, ad mearum quoque Plantarum plenam cognitionem devenire fas erit. Suas enim quibusque adjicere haud omisi nomenclaturas atque synonyma, quemadmodum a laudato Auctore dantur, atque describuntur. Animadvertendum vero est, me cunctis hisce Plantis ideo non innuere loca natalia, ubi eas reperi, quia loca nonnulla, quae hujusmodi Her-

bas mihi suppeditarunt dum hac illac rura peragrarem, velut alpestria, inhospita, et a colonorum Pagis dissita vel a Tabula Geographica, utpote humilia nimis, ne per incidentiam quidem commemorantur, vel certa denominatione non donantur, vel signato tramite minime adeuntur. Itaque sufficiat haec qualiscumque Plantarnm descriptio. Etenim si studiosa praesertim Botanicae Juventus, ea, qua par est, diligentia atque assiduitate, ipsi navare operam haud detrectabit, satis proficuos inde fructus, magnasque utilitates, Deo bene juvante, eandem reportaturam esse confido.

Roma, quae olim universas cogniti Orbis gentes suo vidit subactas Imperio, ac nunc sedes Romani summi Pontificis, Orthodoxae Fidei custos, et magistra jure agnoscitur, atque honoratur, sita est in gradu 39 latitudinis (*) prope Tyberim. Decimoctavum distat a Mediterraneo lapidem, servata via communi; duodecimum vero linea recta, et ab Apenninis quadraginta circiter miliaribus, consueto tramite adhibito: viginti autem, aut viginti quinque si recta spectetur.

Celeberrima haec Urbs admiratione summa ab exteris invisitur, ob egregia, ac magnifica aedificia, qnae singulari arte antiquitus non solum, sed recen-

(*) Altitudo poli, ex quamplurimis coelestibus observationibus deducta, in specula Collegii Romani, fere in medio Urbis posita, est gr. 41.° 53' 54" 2. Vid. Calandr. de ea Opusc. an. 1803.

ter etiam in ea extructa sunt. Abundant ipsa columnis, marmoribusque rarissimis, durissimisque, quae ex Asia, atque Africa deportaverunt veteres Romani, ut ne dum templa, et palatia ornata fuerint lapidibus Numidiae Orientalibusque, sed publicae etiam viae, domusque privatorum civium porphyreticis, atque Africanis marmoribus sint refertae. Simulacra, ac monumenta Heroibus, falsisque Gentilium Idolis dicata, atque a praeclaris Graecorum, ac Romanorum artificibus mirabiliter elaborata, Pyramides, Obelisci, magnae molis Columnae cum historiis inibi expressis, Amphitheatra, Aquaeductus, aliaque prodigiosa opera, undique occurrunt, non sine maximo intuentium stupore, innumeris quoque praetermissis sculpturis in sarcophagis Pontificum, S. R. E. Cardinalium, aliorumque insignium virorum, praeter picturas excellentes, quibus Templa, ac Pinacothecae ditata conspiciuntur. Mirum igitur haud videri debet si Tullius dixerit = *Roma lux Orbis terrarum, et arx omnium Gentium*; ac antiquus Poeta cecinerit (1)

Terrarum Dea, Gentiumque Roma
Cui par est nihil, et nihil secundum.

Illud vero, quod in re nostra maxime commendandum venit, est peculiaris soli foecunditas. Hujusce namque Urbis Territorium egregiam nanciscitur positionem, stat enim inter duo maria, Mediter-

(1) Mart. lib. 12. epist. 8.

raneum nempe, et Adriaticum, habetque suo in centro longitudinali quasi dorsum montium, qui sensim declinantes efformant Urbis tenus septem valles aliquanto profundas, quas inter alii subalterni humiliores attolluntur montes, qui prope Romam adeo sunt diminuti, ut clivulorum potius, quam montium nomine sint appellandi.

Tametsi flumina regalia ibi non excurrant ob deficientem continuam, longamque planitiem; sufficiens nihilominus trahitur aquarum copia a Tyberi qui Urbem intersecat, nec non a frequentibus rivis, torrentibus, stamnis, lacubus, thermis, fontibusque, quae huc illuc campos peragranti sese offerunt. Et vero speciali dignae sunt animadversione aquae Acidulae, ac medicinales quas habitatorum commodo, tuendaeque aegrorum saluti providissime a natura concessas accepimus: hujusmodi autem aquarum copia atque ob argillosam terram, quae pariter habetur, commode potest exerceri Ars Figulina, quae utilissima sane est aedibus construendis, caeterisque usibus perquam necessaria.

Hoc in solo crescunt, vegetantque nedum Arbores, quarum folia hyemis tempore cadunt, sed eae quoque Plantae felicissime aluntur, quae brumali, rigidiorique anni tempestate illis minime spoliantur, quemadmodum Arbores coniferae, glandiferae, bacciferae, nec non vascoliferae.

Quod si prata, nemora, sepes, lacus, paludes, du-

meta, ac uliginosa loca percurrantur, tanta in quantitate, tamque diversae in genere, specie, et varietate reperiuntur Plantae *trunco ligneo*, non minus annuae, quam perennes, ut numerum adeo prodigiosum nusquam profecto legamus neque in Flora Svecica D. Linnaei, neque in Parisiensi Guetardi, neque in Elencho Plantarum Gissiae a D. Dilenio confecto. Spatium soli quod nobis ministrat adeo innumerabilem, ut ita dicam, vegetabilium phalangem, incipit ubi sita erat vetus Ansurae Urbs, quae nunc Terracinae nomine nuncupatur, ac Orientem prospicit Romae, excurrit retro litora Mediterranei, usque ad Centum Cellas, quae Urbs posita est ad occasum Romae, inde transeundum super confinia Patrimonii, deinde ad Viterbii montem, et post transactum Tyberim, nbi praecise prostant Chytrae Augusti, non longe a conjunctione Tyberis, et Nar, gradum tamen faciendo ad Flumen Velinum, a quo Reate intersecatur, et inde insensibiliter ascendendo Alpes introitur in Regionem veterum Samnitium; postea per Volscorum Regiam descendendo Frusinonem versus post Suessiam, hodie Setiam, pervenitur ad fines Regni Neapolis, iterum nempe invisitur Terracina. Hic autem ambitus conficitur 160., et ultra miliaribus, quem inter ob positionem, multiplicem varietatem, caeterasque perfectiones, quas ipsa soli topographia abunde exibet, pulcherrimae, selectissimaeque vivunt Plantae, quarum plures nedum descriptas nobis non reli-

querunt, sed ne adumbrarunt quidem summi in Re Botanica Viri Fabius Columna, Pet. Anton. Micheli, Bocconius, nec non Martinus Keler, qui suasionibus D. Caroli Linnaei peregrinatum huc venit anno 1756 sumptibus celsissimi Svecorum Regis; ast splenico morbo correptus, discedere immature debuit, nec datum ei fuit tam uberta loca contemplari.

Superioribus saeculis, ac nuperis quoque temporibus non defuerunt qui partem huisce territorii quomodocumque describere voluerunt, quo tamen successu satis indicant eorum opera, ubi vel solam Plantarum inibi habitantium umbram indicarunt, vel nomina Plantarum referre contenti fuerunt juxta tradita per Matthiolium, Casteldurandum, Brunfelsiumque. Cujusmodi etiam fuit quidam Libellus recenter editus, ac Alphabetico ordine digestus, ubi plaeraeque Plantae repetitae leguntur variis cum synonymis, praetermissis omnino Plantis spontaneis, uti necesse fuisset, et relatis tantummodo iis quae in Viridariis aluntur. Quapropter satis quisque intelligit, quantum intersit nobilissimae scientiae nostrae, quod attente diligenterque instituantur investigationes de speciosissimis vegetabilibus, quae in selectissima hac Italiae parte vitam ducunt.

Qui enim aetate vivimus, qua septentrionales etiam nationes Botanicam diligentissime colunt, turpe nimis esset, si hoc in studio necessarios facere progressus detrectaremus; cum praesertim natale habue-

rimus sub coelo tam apto ad producendas peculiares Plantas, exoticasque optime alendas ex Asia, America, Africa, quas quotidie germinare casu intuemur in ripis, collibusque prope mare ex seminibus huc translatis, vel ope ventorum, vel aestu marino, vel ab avibus, quemadmodum compertum est de nonnullis Palmarum speciebus, Cactis, Euphorbiis, aliisque, quae occurrunt prope mare in arcibus, et scopulis montis Circelli, et Terracinae. Et reapse hujusce Operis necessitatem satis superque indicavit clarissimus Carolus Linnaeus; suo enim in elaboratissimo Opere *Species Plantarum* perraro verba facit de Plantis illis, quae spontaneae habitant in Italia, illasque pene semper tacitus praeterit, quas Romanus exhibet Ager uti centrum ipsius Italiae. Siquidem ex tali silentio facile deducitur, defecisse tanto viro Auctores, qui cognitionem harum Plantarum suppeditare valerent. Nostrum igitur erit omni cum sedulitate occultas hasce Romani soli divitias detegere, gratumque nos facturos esse Reipublicae literariae, confidimus, cum palam fecerimus Botanicas cognitiones, quibus usque nunc caruit. Praeter complures enim species, nova quoque genera omnino prius incognita percensebimus, non sine ingenti studiosorum commodo. Maxima tamen cum circumspectione procedendum erit in efformanda distincta, atque adaequata singularum Plantarum idea. Agitur enim de vegetabili Regno, cujus producta

nonnulla, tametsi prima fronte vel damnosa, vel saltem inutilia hominibus videantur; nihilominus ex methodica, quam caste integreque servabimus, descriptione, compertum erit, suam cuique, eamque maximam a natura tributam esse proficuam qualitatem. Nos ipsi namque experimur, manibusque contrectamus, quantas a variis Herbarum speciebus utilitates reportent nedum genus humanum, sed bruta etiam animantia, quae licet ratione destituta, appetere tamen optime callent illas, quae vel tuendae illorum conservationi, vel fugandis malis inserviunt; proindeque nihil mirum, si proprio instinctu ea ferantur ad Plantas, a quibus caute nos abhorremus uti veneficis, mortiferisque. Siquidem Caprae pascuntur Cicuta, quae nedum homines, sed equos etiam occidit. Pecudes esu Nummulariae pereunt, Boves vero e contra pinguescunt, et alia innumera, quae ad hanc rem produci possent, exempla, si per ocium liceret.

Non est itaque tam horrenda, et noxia herbarum species, quae alicui ex animalibus adiumentum non valeat exhibere, ne Tithimalo quidem, et Aconito exceptis, quae Plantae praeter sua, quae alunt, sibi adhaerentia animalcula, a variis quoque quadrupedibus avidissime appetuntur, quia ex earum cibo conservantur, atque crassescunt. Quinimo ipsarum radices summa cum diligentia quaeruntur, excavanturque ab aliis animalibus, uti suibus, qui extrahunt e ter-

rae visceribus radices sibi proficuas. Istrici, Taxi, aliaque id genus Animalia quasi continuo se exercent in effodienda terra, ut fami consulant; qua ex effossione id bonum provenit, quod semina illuc delapsa sic operiuntur, et maturo tempore denuo foecundantur, germinantque.

Quae omnia a summo rerum Creatore adeo mirabili ordine, tamque perfecta harmonia sunt constituta, ut in hominum denique felicitatem augendam simul cederent, atque conspirarent. Eaedem namque illae Plantae, quas a mensis, dapibusque avertere satagimus, quae, et quanta ceteroquin nobis ministrent auxilia nostris in infirmitatibus, satis superque declararunt sapientissimi in re medica viri, quos inter recentes adnumerandus Clar. Stôrchius.

Ex animalibus autem quae illarum alimento crescunt, ac conservantur, quis ignorat, maximam a nobis desumi ciborum partem, illorumque nos uti laboribus ad ardua quam plurima exercitia explenda? Omitto autem ulterius percensere, quae ex vegetabili Regno nobis promanant in telis sericis, lineis, gossipiis, caeterisque, quae vel nostro inserviunt vestimento, vel illarum Artium exercitio, quas societati humanae tam necessarias deprehendimus esse; atque nobilissimam Artem Agrariam, una cum illis, quae communi vinculo et cognatione quadam cum ea continentur.

Praestantissimae hujus scientiae historia recense-

ri hic posset ; ex ea tamen sicuti nimis in longum excresceret meum Opus; ita provinciam hanc doctioribus, foecundioribusque Viris libentissime relinquo. Meum enim Institutum eo praecise tendit, ut accuratissima texatur Descriptio earum Plantarum, quas longo 40. annorum intervallo observare, ac diligenti notatione describere mihi datum fuit frequenter in itineribus meis per Agrum Romanum, Latium, Patrimonium, Vmbriam, Montes, Alpes, Mediterranei loca, et illis adiacentia.

In Plantarum descriptionibus methodum a clarissimo Linnaeo traditam, nempe sexuale, adhibebo. Hoc enim pacto Botanicae tyronibus faciliorem reddendam esse cujusque Plantae intelligentiam mihi suadeo; quippe quia cum recte indigitaverim numerum partium sexualium, quisque per se facile assequetur, cuinam Plantae descripti characteres sint adaptandi, illamque probe cognitam a caeteris generibus, vel adspectu consimilibus, secernere, ac distinguere haud verebitur. Quapropter illud potissimum prae oculis habebo, ut scrupulosissima prius fiat anatome cujuscumque Plantae, atque omnis longe abeat deceptio in adsignandis univocis, invariabilibusque notis, ac differentiis. In XXIV. Classes illas partitus sum, quarum singulis adsignavi earum propria-genera, ipsisque eorum species, ac varietates, una cum medicis facultatibus, quas vel quotidiana firmatas experientia, vel ex assidua in Re Medica, et Botanica celebriorum Auctorum lectione comperi, adnectendasque existimavi.

INDEX GENERVM

IN HOC PRIMO VOLVMINE CONTENTORVM

CLASSIS IV. TETRANDRIA.

CLASSIS V. PENTANDRIA.

CLASSIS VI. HEXANDRIA.

CLASSIS VII. HEPTANDRIA.

I. MONOGYNIA.

760. — *Trientalis.*

CLASSIS VIII. OCTANDRIA.

I. MONOGYNIA.

761.—765. *Epilobium.*
766. — *Vaccinium.*
767. 768. *Erica.*
769.—772. *Daphne.*
773. — *Passerina.*

II. DIGYNIA.

774. — *Moehringia.*

III. TRIGYNIA.

775.—786. *Polygonum.*

IV. TETRAGYNIA.

787. — *Paris.*
788. — *Adoxa.*
789. 790. *Elatine.*

CLASSIS IX. ENNEANDRIA.

I. MONOGYNIA.

791. — *Laurus.*

II. HEXAGYNIA.

792. — *Butomus.*

CLASSIS X. DECANDRIA.

I. MONOGYNIA.

793. — *Anagyris.*
794. — *Cercis.*
795. — *Dictamus.*
796. — *Ruta.*
797. — *Tribulus.*
798. 799. *Arbutus.*

II. DIGYNIA.

800. — *Chysoplenium*
801.—805. *Saxifraga.*
806. — *Gypsophila.*
807.—809. *Saponaria.*
810.—816. *Dianthus.*

III. TRIGYNIA.

817.—820. *Cucubalus.*
821.—828. *Silene.*
829.—831. *Stellaria.*
832.—836. *Arenaria.*

IV. PENTAGYNIA.

837. — *Cotyledon.*
838.—845. *Sedum.*
846. 847. *Oxalis.*
848.—850. *Agrostema.*
851.—854. *Lycnis.*
855.—863. *Cerastium.*
864. 865. *Spergula.*
866. — *Phytolacca.*

CLASSIS XI. DODECANDRIA.

I. MONOGYNIA.

867. 868. *Asarum.*
869. —. *Styrax.*
870. — *Nitraria.*
871. — *Portulaca.*
872.—874. *Lythrum.*

II. DIGYNIA.

875. —. *Agrimonia.*

III. TRIGYNIA.

876.—880. *Reseda.*
881.—902. *Euphorbia.*

IV. DODECAGYNIA.

903. 904. *Sempervivum.*

CLASSIS XII. ICOSANDRIA.

I. MONOGYNIA.

905. — *Cactus.*
906. — *Philadelphus.*
907. — *Myrtus.*
908. — *Punica.*
909. 910. *Amygdalus.*
911.—918 *Prunus.*

II. DIGYNIA.

919.—922. *Crataegus.*

III. TRIGYNIA.

923.—925. *Sorbus.*

IV. PENTAGYNIA.

926. — *Mespilus.*
927.—929. *Pyrus.*
930.—932. *Spirabea.*

V. POLYGYNIA.

933.—944. *Rosa.*
945.—948. *Rubus.*
949. 950. *Fragaria.*
951.—959. *Potentilla.*
960. — *Tormentilla.*
961. 962. *Geum.*
963. — *Comarum.*

CLASSIS XIII. POLYANDRIA.

I. MONOGYNIA.

964. — *Capparis.*
965. — *Actaea.*
966.—968. *Chelidonium.*
969.—973. *Papaver.*
974. 975. *Nymphaea.*
976. — *Tilia.*
977.—992. *Cistus.*

II. DIGYNIA.

993. — *Paeonia.*

III. TRIGYNIA.

994.—997. *Delphinium.*
998. 999. *Aconitum.*

IV. PENTAGYNIA.

1000. — *Aquilegia.*
1001. 1002. *Nigella.*

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Mag. Sacri Palatii Apostolici.

Joseph Della Porta Archiep. Damascenus Vicesg.

Summa tum voluptate tum utilitate perlegi, jubente Reverendissimo P. Sac. Pal. Magistro postumum Cl. Joan. Francisci Maratta de re herbaria opus, cui titulus *Flora Romana*, improbo labore ac longo studio digestum; illudque ut typis mandetur, dignissimum censeo, cum botanophilis non minus quam medicis perutile omnino sit ob plurimas sane plantarum species in romano agro nascentes, ac variis usibus accommodatas, quas auctor ordinatim recensuit, atque descripsit: nihil vero in eo sit quod religioni vel moribus adversetur.

Datum Romae die 26. Februarii 1817.

I. De Matthaeis P.M. P. in Archigym. Rom.

Postumum cl. viri *Johan. Franc. Maratti* in Archigymnasio Romanae Sapientiae Botanices Professoris opus improbo ac diuturno labore absolutum ex mandato Reverendissimi Patris S. P. A. Magistri maxima, qua potui, sedulitate perlustravi, neque quidquam iu eo animadverti, quod fidei, ac moribus adversetur. Itaque dignissimum censeo, ut e tenebris, in quibus hactenus immerito jacuerat, ad Archigymnasii, atque Urbis decus, in publicam lucem educatur. Datum Romae hac die 6. Martii 1817.

Al. Metaxà in Archigymnasio Rom. Sapientiae Anatomiae, et Medicinae comparativae Professor.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Sac. P. A. M.

FLORA ROMANA.

CLASSIS I.

MONANDRIA

MONANDRIA MONOGYNIA

SALICORNIA

1. SALICORNIA (*herbacea*, *vulgo* erba soda *cum sequentibus*) articulis apice crassioribus obtusis . *Linn. Mat. Med.* 8.

Salicornia . *Dod. pempt.* 82.

Salicornia geniculata annua . *Tour. I.R. H.* 51.

Kali geniculatum majus annuum . *C. B. P.* 289.

Crescit ad littus Mediterranei inter Ostiam et Insulam Sacram.

Pharmacopoei Sal Alkali, et confectores vitri Sodam ex hac planta eliciunt.

2. SALICORNIA (*cespitosa*) geniculata, articulis cylindraceis, semper virens, ramorum apice clavato.

Salicornia semper virens . *Savu. Monsp.* 7.

Kali geniculatum majus . *C. B. P.* 289.

Crescit cum praecedente, ad salinas ostienses; sed specie differt, quia radicem habet cespitosam, et satis crassam.

3. SALICORNIA (*lignosa*) articulis in apice

crassioribus, bifidis et trifidis, caudice lignoso.

Crescit ad Salinas ostienses ; et quandoque ad altitudinem quinque et sex palmorum provenit.

4. SALICORNIA (*arborescens*) articulis cylindricis, spicis filiformibus incurvatis.

Kali arborescens Tamarisci facie. *Burm. Cent.* 1. *l.* 11. *f.* 1.

Crescit juxta foveas Salinarum prope Draconem duodecimo ab Vrbe lapide.

5. SALICORNIA (*verticillata*) articulis aciformibus, quinque et ultra uncias longis, floribus verticillatis.

Crescit prope arcem Vajanici, juxta littus Mediterranei.

6. SALICORNIA (*aculeata*) articulis flagelliformibus, undique in apice aculeatis, aculeis in extremitate florigeris.

Crescit prope civitatem dirutam Portus, juxta semitas agri Salini.

HIPPVRIS

7. HIPPVRIS (*vulgaris*, *vulgo* coda di cavallo.) *Linn. Hort. Cliff.* 3.

Equisetum palustre brevioribus foliis polyspermum. *C. B. Pin.* 15.

Polygonum femina. *Cam. Epit.* 689. *Dod. Pempt.* 113.

Habitat fere ubique in stagnis.

8. HIPPVRIS (*verticillatum* , *vulgo* coda di cavallo ,) foliis verticillatis rigidissimis et quinatis , in centro thorosis.

Crescit quarto ab urbe lapide prope pratum duarum turrium, juxta Tiberim ad scaturigines aquarum.

Ad hemoragias.

MONANDRIA DIGYNIA

CORISPERMVM

9. CORISPERMVM (*opposititifolium*) foliis oppositis . *Rai Lug.* 205.

Stellaria aquatica . *C. B. P.* 141.

Alsine aquis innatans, foliis longiusculis . *C.B. Hist.* 786.

Habitat in locis vulgo Maccarese , et lacuna Paterno dicta.

10. CORISPERMVM (*verticillatum*) foliis verticillatis.

Stellaria . *Dill. Gen.* 119. *Rai Syn.* 3. *p.* 289.

Stellaria foliis ad caulem angustis, in summitate subrotundis . *Hall. hel.* 108.

Vegetat Sermonetae.

11. CORISPERMVM (*angustifolium*) foliis adversis ovato - acuminatis , in apice bifidis .

Stellaria foliis omnibus angustis , apice resecto . *Hal. hel.* 198.

Stellaria aquatica . *Cel. Vps.* 33.

Lenticula palustris angustifolia, folio in apice dissecto. *Loes. Pruss.* 140. *T.* 38.

Habitat Sermonetae, et alibi ad aquas stagnantes.

12. CORISPERMVM (*vernum*) foliis circularibus.

Stellaria minor et repens. *Dill. gis.* 120. *Rai Syn.* 3. 287.

Stellaria foliis omnibus subrotundis. *Hal. hel. vet.* 199.

Lenticula palustris bifolia fructu tetragono. *C. B. P.* 362.

Callitriche Plinii. *Col. Ecph.* 315. *T.* 316.

Vegetat fere ubique in aquis stagnantibus Agri Romani.

BLITVM

13. BLITVM (*capitatum*, *vulgo blito*) capitellis spicatis terminalibus. *Linn. Hort. Vps.* 3.

Blitum foliis triangularibus dentatis, calycibus baccatis, capitulis summis nudis. *Linn. Virid. Cliff.* 1. *Roy Lugbd.* 206.

Blitum foliis triangularibus dentatis. *Linn. Hort. Cliff.* 28.

Atriplex baccifera. *Rai Hist.* 197.

Habitat ad Centumcellas vulgo Civitavecchia, et alibi.

14. BLITVM (*virgatum*) capitellis sparsis lateralibus. *Linn. Hort. Upsal.* 3.

Blitum foliis triangularibus dentatis, calycibus

baccatis, capitulis summis foliosis. *Linn. Hort. Cliff.* 495. *Roy Lugbd.* 206.

Atriplex sylvestris morifructu. *C. B. P.* 519.

Ad Centumcellas.

15. BLITVM (*baccatum*) repens foliis triangularibus integerrimis, calycibus baccatis, in spicam dense stipatam terminatis.

Ad Flumicinum.

Est emolliens, refrigerans et humectans. *Boerh. Hist. Plant. Tom. II.* 549.

CLASSIS II.

DIANDRIA

DIANDRIA MONOGYNIA

IASMINVM

16. IASMINVM (*officinale*, *vulgo* Gelsomino salvatico) foliis oppositis pinnatis. *Linn. Hort. Cliff.* 5.

Iasminum vulgatius flore albo. *C. B. P.* 397.

Vegetat multis in locis, etiam ad sepes.

17. IASMINVM (*fruticans*, *vulgo* Gelsomino giallo) foliis alternis ternatis simplicibusque, ramis angulatis. *Linn. Hort. Cliff.* 5. *Hort. Vps.* 5. *Roy. Lugbd.* 397. *Savu. Monsp.* 174.

Iasminum, luteum vulgo dictum, bacciferum. *C. B. P.* 298.

Habitat ad puteum Pantaleo.

Est Planta aperiens, resolvens, emolliens. *Boerh. Hist. Plant. Tom. I.* 295.

L I G V S T R V M

18. LIGVSTRVM (*vulgare*, *vulgo* Gelsomino) foliis oblongo-ovatis, acuminatis integerrimis.

Ligustrum *Linn. Hort. Cliff.* 6. *Dalib. Paris.* 2.
Ligustrum germanicum. *C. B. P.* 475.

Juxta sepes perennat.

19. LIGVSTRVM (*serratum*, *vulgo* Olivella) foliis oblongo-ovatis acuminatis in ambitu serratis.

In sylvosis di Maccarese.

Ad Spinas ventosas, ut vulgo dicuntur, mirabile.

Adstringentem virtutem possidet; ejus decoctum in oris morbis, scorbuto, et diarrhaea convenit. *Boerh. Hist. Plant. Tom. I.* 182.

P H I L L Y R E A

20. PHILLYREA (*media*) foliis ovato-lanceolatis subintegerrimis. *Linn. Hort. Vps.* 5.

In loco vulgo Inzuccherata.

Phillyrea Ligustrifolia. *C. B. P.* 476.

21. PHILLYREA (*angustifolia*, *vulgo* Fili-

ca e Filonio) foliis lineari-lanceolatis integerrimis. *Linn. Hort. Cliff.* 4. *Roy. Lugbd.* 398.

Phillyrea angustifolia prima. *C. B. P.* 476.

Phillyrea angustifolia secunda. *C. B. P.* 476.

Ad locum vulgo Piperno.

22. PHILLYREA (*latifolia*, *vulgo* Filonio.) foliis cordato ovatis, serratis. *Linn. Hort. Cliff.* 4. *Hort. Vpsal.* 6. *Roy. Lugbd.* 398.

Phillyrea latifolia spinosa. *C. B. P.* 476.

Phillyrea folio in ambitu crenato. (*a*)

Phillyrea folio leviter serrato. *C. B. P.* 476.

Habitat ad Privernum, et ad Ceccanum etc.

Ad corpus purgandum etc.

O L E A

23. OLEA (*europaea*, *vulgo* Olivi ; *fructus* Olive domestiche *denominantur* :) foliis lanceolatis, fructu in racemos laxos dispertito.

Olea foliis lanceolatis, ramis terretiusculis. *Lin. Hort. Cliff.* 4. *Mat. Med.* 10. *Roy. Lugbd.* 398.

Olea sativa. *C. B. P.* 472.

Perennat in campania tiburtina, ad Setiam, et Coram, et multis aliis in locis.

24. OLEA (*sativa*) fructibus singularibus, foliis lanceolatis.

Vegetat ut supra.

25. OLEA (*racemosa*, *vulgo* Olivi con frutti fatti a modo di rampazzi) foliis lanceolatis, fructibus racemosis, ramis deorsum inversis.

Olea praecox, fructu minori rotundo. (*a*)
Olea fructu majori. (*b*)
Olea fructu racemoso mediae magnitudinis, frigoris impatientissima. (*c*)

Vivit in locis ut supra: (a) (b) (c) in districtu viterbiensi abundantissime.

26. OLEA (*tetragona*, *vulgo* Olivo salvatico) foliis lanceolatis, ramis tetragonis. *Lin. Hort. Cliff.* 4. *Roy. Lugbd.* 399.

Olea sylvestris folio duro, subtus incano. *C. B. P.* 472.

Folia harum arborum sunt adstringentia et vulneraria. Ex baccis elicitur oleum emolliens, anodynum, resolvens et detergens. *Boerh. Hist. Plant. Tom. I.*

Ad Centumcellas, nempe Civitavecchia.

S Y R I N G A

27. SYRINGA (*vulgaris*, *vulgo* Sciringa turchina) foliis ovato-cordatis. *Lin. Hort. Cliff.* 6. *Hort. Vpsal.* 6. *Roy. Lugbd.* 397.

Syringa caerulea. *C. B. P.* 398.
Syringa eadem flore albo (*a*)

Cicurata.

28. SYRINGA (*persica*) foliis lanceolatis integris omnibus.

Syringa foliis lanceolatis integris dissectisque. *Lin. Hort. Cliff.* 6. *Hort. Vpsal.* 6.
Syringa foliis partim cum impari pinnatis, partim lanceolatis integris. (*a*)
Syringa foliis pinnatifidis impari lanceolato, maximo. (*b*)

Ad Aluvianicum. (a) (b)

CIRCAEA

29. CIRCAEA (*lutetiana*) caule erecto, racemis pluribus. *Lin. Flor. Svec.* 6. *Circaea Hort. Cliff.* 7. *Roy. Lugbd.* 303.
Solanifolia, Circaea dicta major. *C. B. P.* 168.
Circaea (*canadensis*) latifolia flore albo. *Ins. R. H.* 301. (*a*)

Vivunt in monte Mario etc.

30. CIRCAEA (*alpina : Rizzotomi* Circaea *vocant:*) caule ascendente, racemo unico. *Flor. Svec.* 7.
Solanifolia, Circaea alpina. *C. B. P.* 163.

Habitat in loco nuncupato l' Inzuccherata.

VERONICA

SPICATAE

31. VERONICA (*spuria*, *vulgo* Veronica, ed Erba Thee) foliis ternis aequaliter serratis. *Lin. Hort. Vpsal.* 7.
Veronica spicata angustifolia. *C. B. P.* 246.

Veronica mas surrecta elatior. *Barr. rar.* 155. *t.* 891.

Ad montem viridem.

32. VERONICA (*maritima*) spicis terminalibus, foliis ternis inaequaliter serratis. *Flor. Svec.* 2. *N.* 8.

Veronica floribus spicatis, foliis ternis. *Flor. Svec.* 6. 1. *p.* 6.

Ad pontem Galeram.

33. VERONICA (*longifolia*) spicis terminalibus, foliis oppositis lanceolatis serratis acuminatis. *Hort. Vps.* 7.

Veronica spicata latifolia. *C. B. P.* 246.

Veronica prima erectior latifolia. *Clus. Hist.* 1. *p.* 546.

Habitat ad Maglianellam.

34. VERONICA (*spicata*) spica terminali, foliis oppositis crenatis obtusis, caule ascendente simplicissimo. *Flor. Svec.* 2. *n.* 10.

Veronica spicata minor. *C. B. P.* 247.

Ad domunculam Mathei.

35. VERONICA (*hybrida*) spicis terminalibus, foliis oppositis obtuse serratis scabris, caule erecto. *Flor. Svec.* 2. *n.* 11.

Veronica spicata cambro-britanica, Bugulae subhirsuto folio. *Rai Syn.* 3. *p.* 278. *tab.* 11. *f.* 1.

Vegetat non procul a Castro vulgo Marino.

36. VERONICA (*officinalis*, *vulgo* Erba Thee ob usum etc.) spicis lateralibus pedunculatis foliis oppositis,caule procumbente. *Flor. Svec.* 2. *n.* 12.

Veronica mas supina et vulgatissima. *C. B. P.* 246.

Ad domunculam Mathei, et ad sylvam vulgo Fajola, et aliis multis in locis etc.

Veronica officinalis ad pituitam debellandam, et detergenda viscera laudatur; sicuti valet ad pulmonum vitia, ad scorbutum. phthysin, calculum, si cum Glycyrrhiza decoquatur; si in aqua ebulliente infundatur, odore et sapore et omni dote refert Thee chinensium, ejusque effectus habet.

Boerrhavius asserit hac planta centenos morbos curasse: nam vim habet pituitosum, viscosum et oleosum solvendi. *Boerh. His. Plant. T. I.* 305.

37. Veronica (*sagittata*) foliis astato-sagittatis, spica aphylla.

Ad domunculam Mathei.

CORYMBOSO-RACEMOSAE

38. VERONICA (*aphylla*) corymbo terminali, scapo nudo.

Veronica foliis ovatis radicalibus, caule nudo. *Roy. Lugbd.* 302.

Veronica alpina pumila, caule nudo. *Boc. Mus.* 2. *p.* 17. *Tab.* 1. *et* 9.

Veronica parva saxatilis, cauliculis nudis. *Pluk. Almag.* 384. *Tab.* 114. *fig.* 3. *Seguier. Veron.* 241. *t.* 3. *f.* 2.

Chamaedrys alpina minima hirsuta. *C. B. P.* 247.

Virit ad Civitatem Castellanam.

39. VERONICA (*bellidioides*) corymbo terminali, caule adscendente diphyllo.

Veronica caule non ramoso, floribus congestis terminato, foliis ovatis subasperis. *Hal. hel.* 531. 12. *f.* 1.

Veronica alpina Bellidis folio. *C. B. P.* 247 *Prodr.* 116.

Ad planum duarum turrium.

40. VERONICA corymbo terminali, foliis oppositis serrato-dentatis, calycibus linearibus.

Bonarota. Michel. *Gen.* 19. *t.* 15. *f.* 12.

Pederota. *Lin. Gen. Plant.* 11.

Chamaedrys alpina saxatilis. *C. B. P.* 248.

Ad montem Sorat.

41. VERONICA (*alpina*) corymbo terminali, foliis oppositis, calycibus hispidis. *Lin. Flor. Svec.* 15.

Veronica caule inferne procumbente fruticoso, foliis ovatis oppositis, racemo terminali. *Roy Lugbd.* 302.

Virescit ad Setiam.

42. VERONICA (*serpillifolia*) racemo terminali subspicato, foliis ovatis glabris crenatis. *Flor. Svec.* 2. *n.* 16.

Veronica foliis inferioribus oppositis ovatis, superioribus alternis lanceolatis, floribus solitariis. *Lin. Hort. Cliff.* 9.

Veronica pratensis Serpilli folio. *C. B. P.* 247.

Ad Marinum etc.

43. VERONICA (*beccabunga*) foliis oppositis laevibus crenatis, floribus racemosis lateralibus. *Roy Lugbd.* 302.

Veronica foliis oppositis laevibus crenatis, floribus laxe spicatis ex alis. *Lin. Hort. Clif.* 8.

Anagallis aquatica major minorque, folio subrotundo. *C. B. P.* 252.

Fere ubique ubi currunt aquae.

Veronica, vulgo beccabunga blandum possidet alkali urinosum, quod acidum scorbuticorum egregie temperat; et hac de causa prae caeteris in scorbuto, vulgo calido dicto, convenit.

In febribus, ac phlogosibus scorbuticorum, decoctum, et succus ejus expressus etiam in jusculis cum fructu usurpatur. *Bucvald.*

44. VERONICA (*vulgo* Beccabunga) foliis oppositis fere connatis integerrimis, floribus ex foliorum alis in spicam corymbosam laxam prodeuntibus.

Fere ubique ubi antecedens vitam virit.

Vsitatissima in jusculis antiscorbuticis etc.

45. VERONICA (*anagallis*) racemis lateralibus, foliis lanceolatis serratis, caule erecto. *Dalib. Paris.* 7.

Veronica foliis oppositis laevibus crenatis, flo-

ribus laxe spicatis ex alis. *Gron. Virg.* 4.
Veronica major aquatica, folio oblongo. *C. B. P.* 252.

Ad lacunas Pontinas, et multis aliis in locis.

46. VERONICA (*scutellata*) racemis lateralibus, pedicellis pedunculis, foliis linearibus integerrimis. *Dalib. Paris.* 7. *Flor. Svec.* 6. 17.
Veronica aquatica angustifolia scutellata. *C. B. P.* 252.

Habitat ad Ostiam.

47. VERONICA (*debilis*) racemis lateralibus, foliis ovatis rugosis dentatis, caule debili. *Dalib. Par.* 4.
Chamaedrys spuria minor rotundifolia. *C. B. P.* 249.

Ubi antecedens, et etiam ad montem viridem.

48. VERONICA (*latifolia*) racemis lateralibus, foliis cordatis rugosis dentatis, caule stricto.
Veronica pratensis omnium maxima. *Bux. Cent.* 1. *p.* 23. *t.* 34.
Chamaedrys spuria major latifolia. *C. B. P.* 248.

Ad Castrum novum.

49. VERONICA (*stipata*) racemis lateralibus dense stipatis, foliolis sagittato-cordatis.

Habitat ad Castrum novum.

50. VERONICA (*agrestis*) pedunculis unifloris, floribus solitariis, foliis cordatis incisis pedunculo brevioribus. *Dalib. Par.* 6. *Lin. Flor. Svec.* 17. 20.

Veronica foliis cordatis crenatis, floribus solitariis pedunculatis. *Roy. Lugbd.* 303.

Alsine Chamaedryfolia, flosculis pediculis oblongis insidentibus. *C. B. P.* 250.

Ad Castrum.

51. VERONICA (*arvensis*) floribus solitariis, foliis cordatis incisis pedunculo longioribus. *Dalib. Par.* 5.

Alsine Veronicae foliis, flosculis cauliculis adhaerentibus. *C. B. P.* 250.

Ad Vitrucchianum.

52. VERONICA (*hederaefolia*) floribus solitariis, foliis cordatis planis quinque lobis. *Dalib. Paris* 6. *Flor. Svec.* 18. 21.

Veronica foliis alternis cordatis quinquelobis, floribus solitariis. *Roy Lugbd.* 303.

Alsine Hederulae folio. *C. B. P.* 250. *Tabern. Hist.* 1088.

Veronica chia Cymbalariae folio verna, flore albo, umbilico virescente. *Tour. Cor.* 7. *Bux. Cent.* 1. *p.* 25. *t.* 39. *f.* 1. Semina sunt vere umbilicata. (*a*)

Habitant ad Flumicinum, et nonnullis aliis in locis.

53. VERONICA (*triphyllos*) floribus solitariis, foliis digitato-partitis pedunculo brevioribus. *Dalib. Par.* 6.

Veronica foliis alternis inferioribus quinquepartitis, superioribus tripartitis, floribus solitariis. *Lin. Hort. Cliff.* 9. *Roy. Lugbd.* 302.

Veronica triphyllos caerulea. *C. B. P.* 250.

Ad montem Marium.

54. VERONICA (*romana*) floribus solitariis subsessilibus, foliis oblongis subdentatis, caule erecto. *Linn. Spec. Plant.* 31. *f.* 19.

55. VERONICA (*acinifolia*) minima, Clinopodii minoris folio glabro, Romana. *Boc. Mus.* 2. *pag.* 29. *t.* 102. *Vaill. Paris* 201. *t.* 23. *f.* 3. *Rai Suppl.* 423.

Ad montem Rotundum, ad montem Gentilem.

56. VERONICA (*polygonifolia*) floribus solitariis sessilibus, foliis lanceolato-linearibus glabris obtusis integerrimis. *Linn. Flor. Svec.* 15.

Veronica terrestris annua, folio Polygoni, flore albo. *Moris. Hist. p.* 322. *s.* 3. *T.* 24. *f.* 19.

Ad montem Sorat.

57. VERONICA (*cordata*) foliis cordato-crenatis, nec non crenulatis, floribus e foliorum alis confertis.

Ad pontes Ostiae.

GRATIOLA

58. GRATIOLA (*conferta*) foliis integerrimis sublanceolatis, floribus pedunculatis confertis.

Ad pontes Ostiae.

59. GRATIOLA (*officinalis*, *vulgo* Graziola, o gratia Dei,) floribus pedunculatis, foliis lanceolatis serratis. *Linn. Mat. Med.* 18.
Gratiola. *Riv. mon.* 157.
Gratiola centauroides. *C. B. P.* 279.

Prope Reatem.
Ad purgandum ἄνω καί κάτω a colonis usitata.

PINGVICVLA

60. PINGVICVLA (*vulgaris*) nectario cylindraceo longitudine petali. *Linn. Flor. Lapp.* 11. *Flor. Svec.* 21. 25. *Roy Lugbd.* 304.
Sanicula montana flore calcari donato. *C. B. P.* 243.

Ad locum vulgo Casa Broda.

VTRICVLARIA

61. VTRICVLARIA (vulgaris, *vulgo* Millefolio aquatico; et Riz. Millefolio aquatico minore) nectario carinato. *Linn. Flor. Svec.* 25. 29. (Sed potius dicendum erit conico nectario.) *Roy. Lugbd.* 304.
Lentibularia. *Riv. mon.* 78.

Millefolium aquaticum lenticulatum. *C. B. P.* 141.

Ad stagna vivit.

62. VTRICVLARIA (*minor*) nectario carinato. *Linn. Flor. Suec.* 25. 29.

Millefolium palustre galericulatum minus. *Pluk. Alm.* 251. *T.* 99. *f.* 6.

Apparine aquis innatans trevisana, foliis Perchepier capreolis donata. *Boc. Mus.* 1. *p.* 23. *T.* 4.

Ad aquas stagnantes vegetat.

VERBENA

DIANDRAE DISPERMAE

63. VERBENA (*jamaicensis, vulgo* Verbena con fiori di color azzurro, e foglia quasi rotonda) diandria spicis longissimis carnosis subrotundis.

Verbena foliis obtuse ovalibus, spica carnosa nuda. *Roy Lugbd.* 327.

Verbena folio subrotundo serrato, flore caeruleo. *Sloan. Hist.* 171. *T.* 107. *f.* 1.

Vsitatissima in febribus intermittentibus etc.

Iuxta sepes luxuriat etc.

64. VERBENA (*sthoecadifolia*) diandria spicis ovatis, foliis lanceolatis serrato-plicatis, caule fruticoso. *Roy Lugbd.* 327.

Sherardia nodiflora, sthoecadis serrati folio. *Vaill. Sex.* 49.

Lavandula foliis crenatis latioribus americana frutescens. *Plum. Spec.* 6. *Icon.* 162. *f.* 1.

Ad pontem Galera.

TETRANDRIAE TETRASPERMAE

65. VERBENA (*nodiflora*) tetrandria, spicis capitato-conicis, foliis serratis, caule repente. *Flor. Zeyl.* 399.

Verbena foliis verticaliter ovatis, spicis solitariis ovatis. *Roy Lugbd.* 327.

Verbena caule repente, foliis oblongis superne crenatis, pedunculis solitariis capitatis. *Gron. Virg.* 7. (*a*)

Verbena nodiflora, (*vulgo verbena*). *C. B. P.* 269. *Prodr.* 125.

Ad Turrim Paternam. (a) Ad Castrum Romano.

66. VERBENA tetrandria, spicis filiformibus paniculatis, foliis multifido-laciniatis, caule solitario. *Flor. Svec.* 2. *n.* 30.

Verbena tetrandria, spicis filiformibus paniculatis, foliis multifido-laciniatis, caule cespitoso. (*a*)

Verbena communis, flore caeruleo. *C. B. P.* 269.

Verbena recta. *Dod. Pempt.* 150.

Iuxta agrorum argines, et vias campestres (*a*), cum praecedenti.

Ad obstructiones lienis, et in febribus specifica, ut etc.

67. VERBENA (*officinalis*, *vulgo* verbena) foliis multifido-laciniatis, spicis filiformibus. *Hort. Cliff.* 11. *Roy Lugbd.* 327.

Verbena comunis flore caeruleo. *C. B. P.* 269.

(Dantur varietates flore albo, vel rubro.)

Fere ubique.

Deobstruens et antifebrilis.

LYCOPVS

68. LYCOPVS (*europaeus*) foliis sinuato-serratis. *Flor. Svec.* 2. *n.* 31.

Lycopus foliis indivisis. *Flor. Svec.* 1. *n.* 27. *Dalib. Paris.* 9.

Lycopus. *Hort. Cliff.* 11. *Roy Lugbd.* 326.

Marrubium palustre glabrum. *C. B. P.* 230.

Sideritis. *Matth. Dalech. Hist.* 1117.

Ad fluvium et torrentes.

In intermitente febri specificus.

CVNILLA

69. CVNILLA (*thymoides*) foliis ovalibus integerrimis, floribus verticillatis, caule tetragono. *Linn. Sp. Pl.* 1. *p.* 31..

Thymus pulegioides. *Sp. Pl.* 1. *p.* 592.

Acinos Thymi folio et facie, floribus inexpan-

sis . *Moris. Hist.* 3. *p.* 404. *f.* 11. *T.* 19. *f.* 6.

Ad Fajolam et Selvettum etc.

ROSMARINVS

70. ROSMARINVS (*officinalis vulgo* Rosmarino e ramerino) *Hort. Cliff.* 14. *Roy Lugbd.* 310.

Rosmarinus angustissimo folio , flore albo. (*a*)
Varietas flore caeruleo. (*b*)

Rosmarinus lato et nonnihil cordato folio , flore roseo. (*c*)

Rosmarinus spontaneus latiore folio . *C. B. P.* 217.

Rosmarinus hortensis angustiore folio . *C. B. P.* 217. (*d*)

Vivit juxta mare . (a) (b) (c) (d) cum praecedenti .

Anthystericus et emmenagogus .

SALVIA

71. SALVIA (*aegyptiaca*) foliis lineari-lanceolatis denticulatis , floribus pedunculatis . *Hort. Cliff.* 13. *Roy Lugbd.* 309.

Horminum aegyptium minimum ramosissimum . *Lippi Boerh. Lugbd.* 1. *p.* 66.

Ad Castrum Guidi,

72. SALVIA (*officinalis*) foliis lanceolato-ovatis integris crenulatis , floribus spicatis , calycibus acutis . *Hort. Cliff.* 12. *Hort.*

Upsal. 10. *Savu. Mons.* 143. *Roy. Lugbd.* 307.

Salvia major. *C. B. P.* 237.

Salvia minor aurita et non aurita. *C. B. P.* 237. (*vulgo* Salvia minore) (a)

Salvia (*vulgo Salvia macchiata*) foliis variegatis ex subviridi et luteo. (b)

Salvia foliis variegatis ex viridi et atro purpureo. (c)

In Insula Sacra (a) cum praecedenti, Cicuratae (b) (c)

Calefaciens et spiritus excitans.

73. SALVIA (*pomifera*) foliis lanceolato - ovatis integris crenulatis, floribus spicatis, calycibus obtusis. *Hort. Cliff.* 12. *Roy. Lugbd.* 307.

Salvia cretica frutescens pomifera, foliis longioribus incanis et crispis. *Tour. Coroll.* 10. *Itin.* 1. *p.* 92. *t.* 92.

Salvia baccifera. *C. B. P.* 237.

Ad turrim Paterna.

74. SALVIA (*colorata*) foliis ovato-lanceolatis et profunde crenatis, floribus spicatis, calycibus acuminatis et coloratis.

Ad Neptunnum.

75. SALVIA (*viridis*) foliis oblongis crenatis, corollarum galea semi-orbiculata, ca-

lycibus fructiferis reflexis. *Linn. Spec. Plant. n. 7. p.* 34.

Horminum coma viridi. *Tour. Ins.* 178.

Salvia foliis ovato-oblongis obtusis aequaliter crenatis, corollarum galea semi-orbiculata. *Linn. Hort. Upsal.* 11.

Ad Neptunnum et ad Terracinam.

76. SALVIA (*Horminum*) foliis obtusis crenatis, bracteis summis sterilibus majoribus coloratis. *Roy. Lugbd.* 310. *Linn. Hort. Cliff.* 12. *virid. Cliff.* 4.

Horminum sativum *C. B. P.* 238.

Ad Terracinam.

77. SALVIA (*haematodes*, *vulgo* Ormino macchiato di sangue) foliis cordato-ovatis rugosis tomentosis, calycibus hispidis, radice tuberosa. *Linn. Spec. Plant.* 11. *p.* 35.

Horminum sanguineum Asphodeli radice. *Triumf. obs.* 69. *T.* 69.

Horminum sylvestre maculatum tuberosum. *Honuphr.*

Horminum sylvestre majus haematodes glabrum, flore caeruleo italicum. *Barr. rar.* 234. *T.* 185.

Ad Setiam et ad tres fontes.

78. SALVIA (*pratensis*, *vulgo* Ormino vol-

gare) foliis oblongo-cordatis crenatis, summis amplexicaulibus, verticillis subnudis, corollis galea glutinosis. *Linn. Flor. Svec.* 2. *n.* 32.

Salvia foliis ovatis inciso-crenatis, verticillis subnudis. *Roy. Lugbd.* 310. *Dalib. Par.* 10.

Horminum pratense foliis serratis. *C. B. P.* 238.

Ubique habitat, in pratis signanter.

Ad expedienda loca tumida valet, et est planta vulneraria.

79. SALVIA (*lacunosa*) foliis oblongo-cordatis crenatis et sinuosis nec non lacunosis.

Gallitricum Sylvestre flore majore albo. *C. B. Hist.* 3. *p.* 312.

Ad planum duarum Turrium.

80. SALVIA (*verbenaca*, *vulgo* Ormino con le frondi tagliate) foliis serratis sinuatis, corollis calyce angustioribus. *Linn. Virid. Cliff.* 17. *Roy Lugbd.* 309. *Gron. Virg.* 8. *Dalib. Par.* 9. *Savu. Monsp.* 278.

Horminum sylvestre Lavandulae flore. *C. B. P.* 239. *Rai. Hist.* 545.

Horminum sylvestre minus inciso folio, flore azureo. *Barr. Icon.* 208.

Horminum Verbenacae laciniis angusti folium. *Triumph. Obs.* 66. *T.* 66.

Ad montem Viridem.

81. SALVIA (*hispanica*) foliis ovatis obtusis sinuatis et profunde crenatis , basibus tuberosis , calyce florum bifido et trifido .

Sclarea hispanica. *Taber. Hist.* 764. *Icon* .374.

Ad turrim vulgo di Valle.

82. SALVIA (*glutinosa*) foliis hastato-sagittatis serratis.

Salvia foliis cordato-sagittatis serratis acutis. *Roy. Lugbd.* 308. *Savu Monsp.* 146.

Horminum luteum glutinosum. *C. B. P.* 238.

In locis vulgo Inzuccherata, e Fajola.

83. SALVIA (*sclarea*, *vulgo* erba per piaghe) foliis rugosis oblongo-cordatis serratis , floribus calyce longioribus concavis acuminatis. *Roy. Lugbd.* 309. *Dalib. Par.* 9.

Salvia foliis cordato-ovatis obscure undulatis , foliolis floralibus lanceolato-concavis . *Guet.* 263.

Orvala. Dod. Pempt. 292.

Horminum Sclarea dictum *C. B. P.* 238.

Ad Farnesium.

Aperiens et anthysterica etc.

84. SALVIA (*aethiops*) foliis oblongis dentato-angulatis hirsutis , verticillis lanatis . Labium inferius corollae antice cohaeret et sacculum efformat.

Salvia foliis lanceolatis sinuato-dentatis, floralibus verticillos comprimentibus. *Roy Lugbd.* 308. *Hort. Cliff.* 13.

Aethiops foliis sinuosis. *C. B. P.* 241.

Cicurata.

DIANDRIA

DIANDRIA DIGYNIA

ANTHOXANTHVM

85. ANTHOXANTHVM (*odoratum*) spica ovato-oblonga, flosculis subpedunculatis arista longioribus. *Linn. Spec. Plant.* 1. *p.* 40.

Anthoxanthum flosculis diandris. *Roy. Lugbd.* 58. *Hort. Cliff.* 25.

Anthoxanthum. *Dalib. Par.* 10. *Flor. Svec.* 29. 33.

Gramen pratense spica flavescente. *C. B. P.* 3. *Scheuz. Gram.* 88.

Ad Centumcellas.

86. ANTHOXANTHVM (*paniculatum*) floribus paniculatis. *Amoen. Acad.* 1. *p.* 145.

Gramen sparteum panicula flavescente. *Rudb. Elys.* 1. *f.* 14.

Ad Centumcellas.

CLASSIS III.

TRIANDRIA

TRIANDRIA MONOGYNIA

VALERIANA

87. VALERIANA (*rubra*) floribus monandris caudatis, foliis lanceolatis integerrimis. *Roy Lugbd.* 235. *Dalib. Paris.* 12. *Hort. Cliff.* 15. *et Vps.* 14.

Valeriana (*rubra*, *vulgo dicta* Valeriana con li fiori rossi.) *C. B. P.* 165. *(a)*

Valeriana (*alba*, *vulgo dicta* Valeriana con li fiori bianchi. *(b)*

Ad moenia Vrbis, et alibi sicuti (a) (b)

88. VALERIANA (*cornucopiae* ; *Rizzot. vulgo* Valerianella) floribus diandris ringentibus, foliis ovatis sessilibus. *Roy. Lugbd.* 235. *Hort. Cliff.* 15. *et Vpsal.* 13.

Valeriana peregrina purpurea albave. *C. B. P.* 164. *Prodr.* 87.

In Sabinis.

89. VALERIANA (*corymbosa*) floribus monandris corymbosis, foliis radicalibus astato-laciniatis, caulinis integerrimis.

Ad montem Nigrum.

90. VALERIANA (*tuberosa*) foliis pinnatis, cum impari maximo lanceolato, radice tuberosa, floribus triandris.

Juxta mare.

91. VALERIANA (*dioica*) floribus triandris dioicis, foliis pinnatis integerrimis. *Linn. Spec. Pl.* 1. 44.

Valeriana dioica. *It. cel.* 46. *Dalib. Paris.* 11. *Flor. Svec.* 31. 35.

Valeriana foliis caulinis pinnatis sexu distincta. *Linn. Hort. Cliff.* 16.

Valeriana foliis caulinis pinnatis polygama. *Linn. Virid. Cliff.* 5. *Roy. Lugbd.* 235.

Valeriana palustris minor et Valeriana palustris inodora parum laciniata. *C. B. P.* 86.

Valeriana alpina minor. *C. B. P.* 165. *Prod.* 87. *(a)*

Prope Reatem (a) cum praecedenti.

92. Valeriana (*lucida*, *vulgo* Valeriana con le frondi lustre.) foliis radicalibus ovatis integerrimis, caulinis cum impari pinnatis, omnibus splendentibus.

Palumbariae.

93. VALERIANA (*officinalis*, *vulgo* Valeriana) floribus triandris, foliis omnibus pinnatis. *Roy. Lugbd.* 234. *Dalib. Paris.* 11. *Hort. Cliff.* 15.

Valeriana sylvestris major. *C. B. P.* 164.

Vegetat alla Magliana e alla Fajola, multisque aliis in locis montosis.

94. VALERIANA (*phu*; *Rizzot.* Valeriana e Phu delle Spezierie) floribus triandris, foliis caulinis pinnatis, radicalibus indivisis, pedunculo alato. *Hort. Vpsal.* 13.

Valeriana foliis infimis integris, proximis laciniatis, caulinis pinnatis. *Roy. Lugbd.* 234.

Valeriana *hortensis*. *C. B. P.* 164.

Ad Hortam.

In psasmodicis, hystericis, epilepticis summum specificum etc.

95. VALERIANA (*pyrenaica*) floribus triandris, foliis caulinis cordatis serratis petiolatis, summis ternatis. *Roy. Lugbd.* 235. *Hort. Cliff.* 15.

Valeriana maxima pyrenaica Cacaliae folio. *T. I. R. H.* 131.

Valeriana Canadensis. *Riv. Mon.* 6.

Valeriana orientalis Alliariae folio, flore albo. *Bux. Cent.* 2. *p.* 19. *t.* 11.

In Sabinis et ad Castrum novum.

96. VALERIANA (*locusta*) floribus triandris, caule dichotomo foliis linearibus integris.

Valeriana floribus triandris, caule dichotomo, foliis ovato-connatis integris. *(a)*

Valeriana floribus triandris, caule dichotomo, foliis oblongis connatis et crenatis. *(b)*
Valeriana semine stellato *C. B. P.* 165.
Valeriana (*dentata*) caule dichotomo, foliis oblongis subserratis, seminis corona tridentata. *Hall. hel.* 666. *Dalib. par.* 12. *(c)*
Locusta major. *Riv. mon.* 6.

Juxta la Cosimata (a) (b) (c) juxta Prata.

97. VALERIANA (*mixta*) floribus triandris, caule quadrifido, foliis imis bipinnatifidis, seminis pappo plumoso. *Savu. Monsp.* 275.
Valerianella semine umbilicato hirsuto minore. *Moris. Vmbell.*

In loco vulgo la Cosimata, et alibi prope prata.

Hypocondriacorum et in scorbuto summum est solamen.

98. VALERIANA (*saxatilis*) floribus triandris, foliis subdentatis, radicalibus ovatis, caulinis lineari-lanceolatis. *Lin. Spec. Plan. I.* 46.
Valeriana alpina nardo celticae similis inodora. *Pluk. Alm.* 380. *t.* 232. *f.* 2.

Ad Januarium montem etc.

POLYCNEMVM

99. POLYCNEMVM (*vaginatum*) erectum foliis stipulatis, stipulis caulem vaginantibus.

Ad montem Sorat.

CROCVS

100. CROCVS (*sativus*) spatha univalvi-radicali, corollae tubo longissimo. *Linn. Spec. P.* 1. *p.* 50.

Crocus floribus fructui impositis tubo longissimo. *Roy. Lugbd.* 41. *Hort. Vpsal.* 15. *Mat. Med.* 27.

Crocus (*officinalis*, *vulgo* Zafrano domestico) autumnalis, sativus. *Moris. Hist.* 2. *p.* 335. *f.* 4. *t.* 2. *f.* 1. *(a)*

Crocus vernus angustissimo folio, flore vario, spatha monophylla, radice olivaris. *(b)*

Cicuratus -sed (a) (b) ad Villam madama, et alibi
Anodyna, hypnotica, aperiens, alexiterica.

ROMVLEA

101. ROMVLEA (*ixia*) spatula unica ad florem.

(E Bulbillo tunicato perbrevis scapus exit, parum a terra egrediens, qui a basi usque ad medietatem a spatha amplexatur. In summitate dicti scapi elongatur calyx monophyllus cucullatus persistens ovato oblongus apice acuminatus embrionem et florem amplectens simul cum spatula unica membranacea ovata opposita. Florem lia-

leum habet cujus tubus simplex perbrevis, in limbo sexfidus erectus, laciniis ovato-oblongis concavis aequalibus. Filamenta tria subulata, corollae dimidio breviora in petalorum basi inserta. Antherae oblongae sagittatae erectae didymae basi divisae. Germen ovatum oblongum. Stylus filiformis erectus, stamina quasi per medietatem superans, in summitate trifidus, et in quavis divisione per dichotomiam subdivisus: unde merito dici potest sexdivisus. Stigmata simplicia subrotunda. Embrio abit in fructum oblongum et quasi cylindraceum trivalvem et sexlocularem. Semina plurima orbiculata. Folia plantam ornantia longa angustaque sunt; ex una parte rotundata, ex altera e rotundo planiuscula, quae cum Croci foliis quamdam affinitatem primo intuitu praebent. Vnde ex dictis Romulea nostra differt ab aliis suis congeneribus etc.)

Romulea spatula unica ad florem, simul cum calyce florem amplexante, in basi calycis duabus foliolis alternis cincto.

Sisyrinchium minus angusti folium, flore majore variegato, *B. C. P.* 41.

Sisyrinchium asprensium angusto folio alterum. *Col. Ecph.* 2. *p.* 5. *t.* 7. *f.* 1.

Bulbocodium crocifolium flore magno albo, fundo luteo. *Tour. Corol.* 50.

Romulea flore albo. *(a)*

Romulea flore ex albo et violaceo mixto. *(b)*

Romulea flore ex violaceo et luteo variegato. *(c)*

Romulea flore parvo variegato etc.

Romulea flore intense violaceo. *(d)*

Extra portam Portuensem (a) (b) (c) (d) simul cum antecedentibus, ad circum Carachallaea, extra ianuam D. Sebastiani et alibi.

GLADIOLVS

102. GLADIOLVS (*communis vulgo* bocca di Leone) caule simplicissimo, foliis ensiformibus. *Roy Lugbd.* 19.

Gladiolus floribus uno versu dispositis. *B. C. P.* 41.

Gladiolus vulgaris flore rubro. *(a)*

Et flore albo. *(b)*

Ad agros (a) (b) cum praecedenti et etiam ad montem Rotundum, et alibi.

103. GLADIOLUS (*spicatus*) foliis linearibus, caule simplicissimo, floribus spicatis. *Roy. Lugbd.* 19.

Ad montem Rotundum.

ANTOLYZA

104. ANTHOLYZA (*ringens*) stamine unico declinato. *Spec. Pl.* 1. *p.* 37.

Gladiolo aethiopico similis planta angustifolia. *Comm. Hort.* 1. *T.* 41. *Rudb. Elys.* 2. *p.* 237. *f.* 15.

Gladiolus floribus rictum referens coccineus, suprema lacinia erecta et fistulosa. *Brey. Ic.* 21. *T.* 8. *f.* 1.

Ad Hortum.

105. ANTHOLYZA (*aethiopica*) staminibus omnibus ascendentibus.

Cunonia floribus sessilibus spathis maximis. *Burn. cun.* 221. *T.* 1.

Gladiolus aethiopicus flore coccineo. *Corn. Canad.* 79. *t.* 79. *Moris. Hist.* 2. *p.* 421. *s.* 4. *T.* 23. *f.* 1. *Rudb. Elys.* 2. *p.* 236. *f.* 14.

Cum antecedenti.

IRIS

BARBATAE NECTARIIS PETALORVM REFLEXORVM

106. IRIS (*vulgo* Iride e Giagiolo) corollis barbatis, caule foliis longiore multifloro. *Roy. Lugbd.* 17.

Iris vulgaris germanica seu sylvestris. *C. B. P.* 30.

Iris hortensis latifolia. *C. B. P.* 31. *(a)*
Iris flore albo. *(b)*
Iris flore atro-violaceo. *(c)*

Ad castrum Novum ad Sannitos (a) (b) (c) et alibi; sicuti etiam ad moenia Vrbis.

107. Iris (*chamaeiris*) corollis barbatis, foliis caulem uniflorem superantibus.
Chamaeiris minor flore purpureo. *C. B. P.* 33.

Prope Albanum.

Aquam hydropicorum evacuat etc.

108. Iris (*florentina*) corollis barbatis, caule foliis altiore subifloro, floribus sessilibus. *Mill. Is.* 154.
Iris alba florentina. *C. B. P.* 31.

Ad moenia urbis, vineas etc.

IMBERBES PETALIS DEFLEXIS LAEVIBVS

109. IRIS (*pseudacorus*, *vulgo* Iride acquatica con i fiori gialli) corollis imberbibus, petalis interioribus stigmate minoribus, foliis ensiformibus. *Lin. Hort. Cliff.* 33.
Acorus adulterinus. *C. B. P.* 34. *Theat.* 634.
Iris palustris lutea.

Ad paludes fossos etc.

110. IRIS (*foetida*, *vulgo* Iride con odore di ricotta) corollis imberbibus, petalis internis longitudine stigmatis, foliis ensifor-

mibus. *Roy. Lugbd.* 18. *Dalib. Paris.* 13. *Sav. Monsp.* 41.

Gladiolus foetidus. *C. B. P.* 30.

Spathula foetida Xyris. *I. B. Hist.* 2. *p.* 731. *Dod. Pemt.* 247.

Varietas flore ex albo, ex nigro variegato. *(a)*

Flore ex viridi et nigro picto. *(b)*.

Flore atro purpureo. *(c)*

Flore lacteo *(d)*

Ad nemora quasi undique (a) (b) (c) (d) et ad Maccharese.

111. IRIS (*tuberosa*, *vulgo* Iride con il gambo a quattro cantoni) corollis imberbibus, foliis tetragonis. *Roy Lugbd.* 18.

Iris tuberosa, folio anguloso. *C. B. P.* 40.

Hermodactylus folio quadrangulo. *Tour. Corol.* 50.

Multis in locis et signanter ad S. Crucem in Hierusalem.

112. IRIS (*sisyrinchium*) corollis imberbibus, foliis canaliculatis, bulbis geminis super impositis. *Linn. Spec. Plant.* 22. *p.* 59.

Sisyrinchium majus. *C. B. P.* 40. *Clus. Hist.* 1. *p.* 216.

Sisyrinchium medium. *C. B. P.* 41. *(a)*

Sisyrinchium minus. *Clus. Hist.* 1. *p.* 216. *(b)*

Ad Veirucianum cum (a) (b)

TRIPETALAE

SCHOENVS

CVLMO TERETI

113. SCHOENVS (*mariscus*, *vulgo* Cipero senza odore) culmo tereti , foliis margine dorsoque aculeatis . *Dalib. Par.* 14. *Flor. Svec.* 35. 38.

Pseudo-Cyperus palustris , foliis et carina serratis. *Scheuchz. gram.* 375.

Cyperus longus inodorus germanicus. *C. B. P.* 14.

Ad Tiberim signanter.

114. SCHOENVS (*mucronatus*) culmo tereti nudo , spicis fasciculatis divaricatis , involucro triphillo subulato. *Lin. Spec. Pl.* 3. *p.* 63.

Scirpus culmo tereti , foliis tribus patulis flosculisque aggestis terminato. *Savu. Mons.* 9.

Scirpus maritimus capite glomerato. *I. R. P.* 46. *Scheuchz. gram.* 367.

Gramen cyperoides maritimum . *C. B. P. Theath.* 91.

Ad Tiberinas.

115. SCHOENUS (*nigricans*) culmo tereti nudo, capitulo ovato, involucri diphylli valvula altera subulata longa. *Dalib. Par.* 173.

Iuncus laevis minor panicula glomerata nigricante. *Moris. Hist.* 3. *p.* 233. *s.* 8. *t.* 10. *f.* 28.

Iunco affinis capitulo glomerato nigricante. *Scheuchz. gram.* 349.

Ad Ostiam.

C V L M O T R I Q U E T R O

116. SCHOENVS (*compressus*, *vulgo* Scarzichella) culmo subtriquetro nudo, spica disticha, involucro monophyllo. *Linn. Spec. Plant.* 10. *p.* 65.

Cyperella montana spicata, radice repente, caule rotundo triquetro, spica fusca compressa disticha, semine cinereo. *Mich. gen.* 53.

Gramen cyperoides spica simplici compressa disticha. *Pluk. Alm.* 173. *Scheuchz. gram.* 490. *Rai Hist.* 1910. *Moris. Hist.* 3. *p.* 245.

Habitat cum praecedenti.

117. SCHOENVS (*nudus*) culmo subtriquetro nudo, spica simplici, involucro diphyllo, foliis irregularibus.

Cum praecedenti.

CYPERVS

CVLMO TERETI

118. CYPERVS (*articulatus*) culmo tereti nudo articulato. *Linn. Spec. Pl.* 1. *p.* 66.

Cyperus culmo nudo articuloso. *Roy Lugbd.* 51.

Iuncus cyperoydes creberrime geniculatus, medulla farctus aquaticus, radice rubra tuberosa odorata. *Sloan. Jam.* 36. *Hist.* 1. *p.* 121. *t.* 81. *f.* 1.

Ad ostiam vivit.

119. CYPERVS(*hispanus*)culmo triquetro folioso, umbella supra decomposita, spiculis umbellato-sessilibus. *Linn. Flor. Zeyl.* 37.

Gramen cyperoides maderospatanum panicula magis sparsa et speciosa. *Pluck. Alm.* 179. *t.* 192. *f.* 2.

Vbique vivit ad terras humectas,

120. CYPERVS (*officinarum longus*, *vulgo* Cipero le di cui radiche odorano) culmo triquetro folioso, umbella foliosa supra decomposita, pedunculis nudis, spicis alternis. *Roy Lugbd.* 50.

Cyperus odoratus radice longa, sive Cyperus officinarum. *C. B. P.* 14. *Scheuchz. gram.* 378. *Moris. Hist.* 3. *p.* 237. *s.* 8. *t.* 11. *f.* 13.

Cyperus longus cum Galanga congruit, sed non est tam acer.

In locis vulgo dictis la Magliana, Valle Riccia, Nemi, multisque aliis.

Vrinam movet, menstrua provocat etc.

121. CYPERVS (*rotundus esculentus*) culmo triquetro nudo, umbella foliosa, radicum tuberibus ovatis, zonis imbricatis. *Roy. Lugbd.* 51.

Cyperus rotundus esculentus angustifolius. *C. B. P.* 14. *Theath.*222. *Scheuchz. gram.* 391. *Thrasi Bauh. Hist.* 2. *p.* 504.

In agro Romano habitat multis in locis, sicuti etiam alla Magliana, Fiumicino etc.

122. CYPERVS (*flavescens*, *vulgo* Sgarzichella) culmo triquetro nudo, umbella triphylla, pedunculis simplicibus, inaequalibus, spicis confertis lanceolatis.

Cyperus culmo triquetro nudo, panicula foliosa supradecomposita, spicis confertis distiche compressis. *Dalib. Par.* 14.

Cyperus minimus panicula sparsa flavescente. *Scheuchz.gram.* 385. *Hal. hel.* 246.

Cyperus minor pulcher panicula lata compressa subflavescente. *Moris. Hist.* 3. *p.* 239. *s.* 8. *t.* 11. *f.* 37.

Gramen cyperoides minus, panicula sparsa subflava. *C. B. P.* 6. *Theat.* 88. *t.* 88.

Crescit alla Ranella et alibi.

Planta infestissima.

123. CYPERVS (*papyrus*) culmo triquetro nudo, umbella simplici foliosa, pedunculis simplicissimis distiche spicatis. *Roy. Lugbd.* 50.

Cyperus omnium maximus papyrus dictus locustis minimis. *Mich. Gen.* 44. *T.* 19.

Cyperus enodis nudus, culmis e vaginis brevibus prodeuntibus, spicis tenujoribus. *Scheuch. gram.* 387.

Cyperus niloticus vel syriacus maximus papyraceus. *Moris. Hist.* 3. *p.* 239. *s.* 8. *t.* 11. *f.* 41.

Papyrus syriaca et siciliana. *C. B. P.* 19. *Theat.* 333.

Ad Ostiam.

124. CYPERVS (*repens nodosus* vulgo Sgarzica marittima) caule triquetro, spica simplici, involucro triphyllo longissimo, radice repente nodosa, ad singulos nodos novam plantam emittens vix uncialem, folia humi strata.

Ad ora maritima.

SCIRPVS

SPICA VNICA

125. SCIRPVS (*palustris*) culmo tereti nudo, spica subovata imbricata. *Dalib. Par.* 16.
Scirpus culmo nudo, spica terminali subovata. *Roy. Lugbd.* 48.
Scirpus equiseti capitulo majore. *Scheuchz. gram.* 360.
Iuncus palustris capitulo equiseti major. *C. B. P.* 12.
Ad Flumicinum.

126. SCIRPVS (*fluitans*) culmis teretibus nudis alternis, caule folioso flaccido.
Scirpus foliis linearibus planis alternatim fasciculatis, spica terminatis. *Guet. stamp.* 141.
Scirpus caule folioso flaccido, scapis alternis capitatis. *Roy. Lugbd.* 49. *Savu. Monsp.* 9.
Scirpus equiseti capitulo minori. *Scheuchz. gram.* 365. *t.* 7. *f.* 20.
Iuncellus capitulis equiseti minor fluitans. *C. B. P.* 12. *Prod.* 23. *Theath.* 187.
Gramen iunceum clavatum minimum. *Rai. Hist.* 1310. *Moris. Hist.* 3. *p.* 230. *s.* 8. *t.* 10. *f.* 31. *Pluk. Alm.* 180. *T.* 35. *f.* 1.
Ad Flumicinum.

CVLMO TERETI POLYSTACHIO

127. SCIRPVS (*lacustris*) culmo tereti nudo, spicis ovatis pluribus pedunculatis terminalibus. *Dalib. Paris.* 16.

Scirpus spicis copiosis. *Roy. Lugbd.* 48.

Iuncus maximus seu Scirpus major. *C. B. P.* 12. *Theath.* 178.

Ad Insulam Sacram.

128. SCIRPVS (*romanus*, *vulgo* Giunco appuntato che nasce vicino alli fossi) culmo tereti nudo, capitulo laterali conglobato, bractea reflexa. *Linn. Spec. Plant.* 11. *p.* 72.

Scirpus capitulo singulari, radice tomentosa. *Barr. rar.* 1249. *t.* 255. *f.* 3.

Scirpoides acutum maritimum capitulo glomerato solitario. *Scheuchz. gram.* 373. *Mich. gen.* 52.

Ad locum vulgo Inzuccherata.

129. SCIRPVS (*setaceus*, *vulgo* Giunco piccolo) culmo nudo setaceo, spicis lateralibus subsolitariis sessilibus. *Linn. Flor. Svec.* 2. *n.* 45. *It. Scan.* 227.

Scirpus culmo nudo setaceo, spicis pedunculatis. *Roy. Lugbd.* 49.

Scirpus omnium minimus, capitulo breviore. *Scheuchz. gram.* 358.

Iuncellus omnium minimus. *Moris. Hist.* 3. *p.* 232. *s.* 8. *t.* 10. *f.* 23.

Ad Marcis Simonis domum.

130. SCIRPVS (*nudus*) culmo nudo satis crasso, spicis lateralibus pedunculatis et pendulis.

Ad Flumicinum.

131. SCIRPVS (*polystachion*) culmo in apice folioso, foliolis longissimis carinatis, spicis ovalibus polystachiis.

Ad Flumicinum.

CVLMO TRIQVETRO

132. SCIRPVS (*mucronatus, vulgo* Giunco che nasce vicino al mare con il gambo triangolares) culmo triquetro nudo acuminato, panicula conglomerata nuda.

Scirpus culmo triquetro nudo acuminato laterali, spicis conglomeratis. *Lin. spec. Pl.* 13. *p.* 73.

Scirpo - Cyperus maritimus. *Mich. gen.* 47. *ord. c.* 2. 3.

Iuncus acutus maritimus, caule triangulo. *C. B. P.* 11. *Prodr.* 22. *Moris. Hist.* 3. *p.* 232. *s.* 8. *t.* 10. *f.* 20.

Ad Ostiam.

133. SCIRPVS (*maritimus*) culmo triquetro, panicula conglobata foliacea, spicularum

squamis trifidis intermedia subulata. *Dalib. Paris.* 15. *Flor. Svec.* 39. 47.

Cyperus culmo triquetro, panicula foliacea, pedunculis simplicissimis, spicis confertis. *Roy. Lugbd.* 50.

Cyperus panicula subsessili, capitulis subovatis. *Guett. stam.* 2. *p.* 414.

Cyperus rotundus inodorus Germanicus. *C. B. P.* 14. *Theat.* 215.

Cyperus rotundus inodorus anglicus. *C. B. P.* 14. (*Vulgo* Cipero con le radiche tonde senza odore.) *(a)*

Cyperus panicula compacta e spicis teretibus crassioribus composita. *Scheuchz. Hist.* 400. *(b)*

Gramen Cyperoides, panicula sparsa majus. *C. B. P.* 6. (*Vulgo* Gramiccia con le radiche nodose e spiche sparpagliate.) *(c)*

Scirpo-Cyperus palustris, radice repente inodora nodosa, panicula sparsa, capitulis majoribus. *Mich. gen.* 48. *(d)*

Juxta Tiberim.

134 SCIRPVS (*michelianus vulgo* Sgarzichella piccola) culmo triquetro, capitulo globoso, involucro polyphyllo longo. *Lin. spec. Pl.* 26. *p.* 76.

Cyperus Italicus omnium minimus. *Til. Pis.* 51. *Tab.* 20. *fig.* 5.

Juxta fluvium Tiberim, et signanter alla Renella.

ERIOPHORVM

135. ERIOPHORVM (*polystachion. vulgo* Gramiccia pelosa) culmis teretibus , foliis planis spicatis pedunculatis . *Dalib. Par.* 18. *Flor. Svec.* 44. 49.

Eriophorum spicis pendulis . *Roy Lugbd.* 51.

Gramen pratense, tomentosum , panicula sparsa . *C. B. P.* 4.

Crescit in Villa Madama, in Monte Mario et alibi .

136. ERIOPHORVM (*montanum vulgo* Giunco con la bambage) culmis nudis triquetris , spica pappo breviore. *Linn. Flor. Svec.* 46. 51.

Linagrostis juncea alpina , capitulo parvo , tomento rariore. *Scheuchz. gram.* 305. *t.* 7. *f.* 4.

Iuncus alpinus bombycinus . *C. B. P.* 12. *Prodr.* 6.

Pariter in Villa Madama et Monte Mario.

NARDVS

137. NARDVS (*stricta*) spica lineari. *Linn. Hort. Cliff.* 42.

Gramen sparteum iuncifolium . *C. B. P.* 5. *Scheuch. gram.* 90.

Centumcellis et locis sterilibus.

138. NARDVS (*gangitis*) spica recurva. *Linn. Spec. Plant.* 2, *p.* 78.

Nardus spuria narbonensis . *C. B. P.* 13.

Nardus gangitis spuria narbonensis . *Lob. Icon.* 84. *Moris. Hist.* 3. *p.* 257. *s.* 8. *Tab.* 13. *f. ultima.*

Civitavecchia.

139. NARDVS (*articulatus*) spica cylindrica articulata.

Nardus spica subulata disticha. *Roy. Lugbd.* 58.

Gramen loliaceum , spicis articulosis erectis. *Scheuch. gram.* 43.

Gramen loliaceum maritimum , spicis articulatis . *Moris. Hist.* 3. *p.* 182. *s.* 8. *Tab.* 5. *f.* 1.

Gramen myusuros erectum minimum arundinaceum. *Bocc. Mus.* 70. *t.* 59.

Habitat a Piperno.

140. NARDVS (*aristatus*) calycibus aristatis. *Govan.*

Gramen iunceum nodosum minimum capillare. *Barr. rar.* 106. *t.* 117. *f.* 1.

Vegetat Romae.

TRIANDRIA DIGYNIA

PHALARIS

141. PHALARIS (*canariensis*) panicula subovata spiciformi , glumis carinatis . *Linn. Hort. Vpsal.* 19.

Vide notam ad num. 182.

142. PHALARIS (*arundinacea*) major semine albo. *C. B. P.* 28.

Phalaris panicula oblonga ventricosa. *Lin. Spec. Plant.* 6. *p.* 80.

Phalaris panicula oblonga. *Dal. Paris.* 19.

Gramen aquaticum paniculatum Phalaridis semine. *Scheuch. gr.* 126.

Gramen arundinaceum spicatum. *C. B. P.* 6. *The.* 94.

Gramen aquaticum paniculatum latifolium. *C. B. P.* 6. *(a)*

Inter agros (a) a Malafede e Castel di Guido.

Semina valde aperientia.

PANICVM

SPICATA

143. PANICVM (*viride*) spica tereti, involucellis bifloris fasciculato-pilosis, seminibus nervosis. *Lin. spec. Pl.* 5. *p.* 83.

Gramen alopecurides Madraspatanum, spica quasi geniculata molli. *Pluk. Alm.* 177. *t.* 190. *f.* 6.

Gramen paniceum, seu Panicum sylvestre, simplici spica.

Schauch. gram. 46.

Crescit a Castel di Guido, e a Mala Grotta.

144. PANICVM (*crus galli*) spicis alternis conjugatisque, spiculis subdivisis, glumis ari-

statis hispidis, rachi quinquangulari. *Flor. Svec.* 2. *n.* 55.

Panicum spicis alternis remotis declinatis compositis. *Roy. Lugbd.* 55. *Lin. virid. Cliff.* 7. *Dalib. Par.* 22.

Gramen paniceum spica divisa. *C. B. P.* 8. *Scheuch. gram.* 49. *Moris. Hist.* 3. *p.* 189. *s.* 8. *t.* 4. *f.* 15.

Gramen paniceum, spica divisa aristis longis armata. *C. B. P.* 8.

Dens caninus secundus. *F. B. Hist.* 2. *p.* 434.

Perennat a malagrotta.

Est aperiens et in humorum acredine convenit.

145. PANICVM (*polystachium*) spica multiplici divisa, aristis longissimis, foliis hirsutis.

Invenitur alla Crescenza.

146. PANICVM (*sanguinale*) spicis aggregatis, basi interiore nodosis, flosculis geminis muticis, vaginis foliorum punctatis.

Panicum spicis alternis oppositisque linearibus patentissimis muticis, flosculis alternatim binis, altero pedunculato. *Roy. Lugbd.* 55. *Gronov. Virg.* 154. *Dalib. Par.* 22.

Gramen dactylon folio latiore. *C. B. P.* 8. *Theat.* 114. *Scheuc. gram.* 101.

Gramen dactylon majus panicula longa e spi-

cis plurimis gracilioribus purpureis et viridibus mollibus constante. *Sloan. Iamaic.* 3. ***Hist.*** 1. *p.* 113. *t.* 70. *f.* 2. (*a*)

Panicum culmo geniculato, extremo geniculo undique spicis perpendicularibus et orizontalibus vestito. (*b*)

Ad Tiberim.

147. PANICVM (*dactylon et officinarum*, *vulgo* Gramiccia volgare) spicis digitatis patentibus basi interiore villosis, floribus solitariis, sarmentis repentibus. *Lin. Sp. Pl.* 14. *p.* 85.

Gramen dactylon folio arundinaceo majus aculeatum. *C. B. P.* 7.

Gramen dactylon radice repente seu officinarum. *Scheuch. gram.* 104.

Gramen legitimum. *Clus. Hist.* 2. *p.* 217.

Fere ubique.

Aperiens etc.

PHLEVM

148. PHLEVM (*pratense*) spica cylindrica longissima, culmo recto. *Roy. Lugbd.* 53. ***Dalib. Paris.*** 20.

Gramen typhoides maximum, spica longissima. *C. B. P.* 4. *Scheuc. gram.* 60.

Fere ubique.

149. PHLEVM (*alpinum*) spica ovato-cylindracea. *Dalib. Paris.* 20.

Gramen typhoides alpinum, spica brevi densa et velut villosa. *Scheuch. gram.* 64.

Extat ad planum duarum Turrium.

150. PHLEVM (*arenarium*) spica ovata ciliata, caule ramoso. *Roy. Lugbd.* 54.

Gramen typhinum maritimum minus. *Pluk. Alm.* 177. *t.* 33. *f.* 8.

Extat ibidem.

151. PHLEVM (*schoenoides*) spicis ovatis obvolutis, foliis brevissimis mucronatis amplexicaulibus. *Lin. Spec. Plant.* 5. *p.* 88.

Gramen maritimum typhinum, brevi et crassiori spica ad singula genicula prodeunte. *Scheuch. gram.* 86.

In eodem loco.

ALOPECVRVS

152. ALOPECVRVS (*pratensis*) culmo spicato erecto, glumis villosis. *Roy. Lugbd.* 54. *Flor. Svec.* 52. 59. *Dalib. Par.* 21.

Gramen phalaroides majus seu italicum. *C. B. P.* 4.

Gramen alopecuro simile glabrum, cum pilis longiusculis in spica: *Onopordon. Plinii. Bauh. Hist.* 2. *p.* 475. (*a*)

Gramen typhoides spica angustiore. *C. B. P.* 4. .(*b*)

Ad Theatrum flavianum cum (a) (b)

Detergens et aperiens.

153. ALOPECVRVS (*geniculatus*) culmo spicato infracto. *Dalib. Par.* 20.

Alopecurus culmo infracto, aristis gluma longioribus. *Roy. Lugbd.* 54.

Gramen aquaticum geniculatum spicatum. *C. B. P.* 3. *Scheuch. Gram.* 72.

In Theatro flaviano, vulgo Colosseo.

154. ALOPECVRVS (*racemosus*) culmo spicato, spica racemosa, aristis longissimis.

Ad ripas Tiberis.

155. ALOPECVRVS (*monspeliensis*) panicula villosa oblonga folio involuta. *Savu. Monsp.* 37.

Gramen alopecurum majus, spica longiore. *C. B. P.* 4. *Theat.* 57. *Scheuch. gram.* 154.

Gramen alopecurum majus, spica virescente divulsa. *Barr. Icon.* 115. *f.* 1.

Cauda vulpis monspeliensium: Alopecurus. *Theophrasti. Lob. Icon.* 45.

Fere ubique in macris et sterilibus.

Aperiens et detergens.

MILIVM

156. MILIVM (*effusum*) floribus paniculatis

dispersis muticis. *Flor. Svec.* 55. 61. *Dalib. Paris* 23.

Gramen sylvaticum, panicula miliacea sparsa. *C. B. P.* 8. *Theat.* 141. *Scheuch. gram.* 133. *Moris. Hist.* 3. *s.*8. *Tab.* 5. *f.* 10.

In collibus Marii.

157. MILIVM (*confertum*) floribus paniculatis confertis. *Roy. Lugbd.* 57.

Gramen paniculatum alpinum latifolium, panicula miliacea sparsa. *Scheuch. gram.* 134. *Hal. hel.* 220.

Ad nemus Madamae.

AGROSTIS

ARISTATAE

158. AGROSTIS (*spica venti*) petalo exteriore exserente aristam rectam strictam longissimam. *Roy. Lugbd.* 59. *Flor. Svec.* 58. 62.

Gramen segetum altissimum, panicula sparsa. *Scheuch. gram.* 144.

Gramen capillatum. *I. B. His.* 3. *p.* 462.

Prope Ponzanum.

159. AGROSTIS calycum squama, exteriore aristata longiore, interiore acuminata mutica. *Roy. Lugbd.* 59.

Prope Civitellam.

160. AGROSTIS (*canina*, *vulgo* Gramigna *cum antecedentibus et sequentibus*) calyci-

bus coloratis, petalorum arista dorsali recurva, culmis prostratis subramosis. *Fl. Svec.* 1138. 65.

Gramen paniculatum supinum, ad infima culmorum genicula foliorum capillarium geniculis fasciculatis donatum. *Scheuch. gram.* 141.

Gramen supinum caninum paniculatum folio varians. *C. B. P.* 1. *Thea.* 12.

Fere ubique.

Radices ingrediuntur cataplasmata resolventia et emollientia.

161. AGROSTIS (*latifolium*) flosculis aristatis gemellis, altero sterili, terminalibus ternis. *Savu. Monsp.* 35.

Gramen paniculatum latifolium, locustis crassioribus, semine nigro Aquilegiae simili. *T. I. R. H.* 522.

Gramen avenaceum paniculatum gallo-provinciale Aquilegiae semine. *Moris. Hist.* 3. *p.* 214. *n.* 29 *Pluk. Alm.* 174. *t.* 33. *f.* 2. (*a*)

Fere ubique (a) ad muros.

162. AGROSTIS (*tridentata*) flosculis aristatis, aristis tridentatis seu cuspidatis.

(Culmus vix sex uncias longus, panicula inversa, foliis carinatis, aristis singulis in apice bifidis, et in singulo flosculo tribus rigidis.)

Ad Portam Nettunni.

ARISTIS CARENS

163. AGROSTIS (*stolonifera*) culmo repente, vagina supremi folii ventricosa. *Roy. Lugbd.* 59. *Dalib. Paris.* 23.

Gramen caninum supinum minus. *Scheuch. gram.* 128.

Iuxta vias.

Detergens et aperiens.

164. AGROSTIS (*capillaris*) panicula capillari patente, calycibus subulatis aequalibus hispidiusculis coloratis, flosculis muticis. *Roy Lugbd.* 59. *Dalib. Paris* 23.

Gramen montanum panicula spadicea delicatiore. *Scheuchz. gram.* 129. *C. B. Prodr.* 12.

Vide notam ad numerum 182.

165. AGROSTIS (*minima*) panicula mutica filiformi. *Lin. spec. Pl.* 11. *p.* 93.

Gramen spartum capillaceo folio minimum. *Dill. app.* 173.

Gramen minimum, paniculis elegantissimis. *Bauch. Pin.* 2. *Scheuch. gram.* 40. *Moris. Hist.* 3. *p.* 300. *s.* 8. *t.* 2. *f.* 10.

Nardus panicula spicata, floribus solitariis alternis. *Guett. stamp.* 155. *Dalib. Par.* 155.

Prope Castrum in Samnitos.

A I R A

MVTICAE

166. AIRA (*cristata*) panicula spicata, floribus muticis pedunculo longioribus, glumis acuminatis inaequalibus. *Roy. Lugbd.* 61. *Dalib. Paris.* 27.

Gramen spica cristata subhirsutum. *C. B. P.* 13 *Prodr.* 8. *Moris. Hist.* 3. *p.* 194. *s.* 8. *t.* 4. *f.* 7. *Scheuch. gram.* 166.

Ad duas Turres.

167. AIRA (*caerulea*) foliis planis, panicula coarctata, floribus pedunculatis muticis convoluto-subulatis. *Dalib. Part.* 26. *Linn. Flor. Svec.* 71. 67.

Poa spiculis subulatis, panicula rara contracta. *Roy. Lugbd.* 61.

Gramen arundinaceum minus enode sylvaticum. *C. B. P.* 7. *Theat.* 97. *Scheuch. gram.* 209.

Gramen pratense serotinum, panicula rara purpurascente. *Moris. Hist.* 3. *p.* 201. *s.* 8. *t.* 5. *f.* 22.

In eodem loco.

168. AIRA (*aquatica*) foliis planis, panicula patente, floribus muticis laevibus calyce longioribus. *Dalib. Paris.* 26. *Linn. Flor. Svec.* 66. 68.

Aira culmo inferiore repente, flosculis muticis calyce longioribus, altero pedunculato. *Roy. Lugbd.* 60.

Gramen aquaticum miliaceum. *Scheuc. gram.* 176. *Vaill. Paris.* 89. *t.* 17. *f.* 7.

Gramen caninum supinum paniculatum dulce. *C. B. P.* 2.

Prope Ardeam.

ARISTATAE

169. AIRA (*cespitosa*) foliis planis, panicula patente, petalis basi villosis aristatisque, arista recta brevi. *Linn. Flor. Svec.* 63. 70.

Gramen segetum panicula arundinacea. *Bauh. Pin.* 3. *Theat.* 35. *Scheuch. gram.* 244.

Gramen pratense paniculatum, locustis parvis splendentibus non aristatis. *T. Vaill. Paris.* 26.

Ad prata trium fontium.

170. AIRA (*flexuosa*) foliis setaceis, culmis subnudis, panicula divaricata, pedunculis flexuosis. *Dalib. Paris.* 26. *Linn. Flor. Svec.* 64. 71.

Gramen alpinum nemorosum paniculatum, foliis angustissimis,locustis splendentibus aristatis. *Scheuch. gram.* 218. *t.* 6. *f.* 1.

Gramen nemorosum, paniculis albis, capilla-

ceo folio. *C. B. P.* 7. *Prodr.* 14. *Moris. hist.* 3. *p.*300. *s.* 8. *t.* 7. *f.* 9.

Ad tres fontes Fajolam Nemi et alibi.

171. AIRA (*canescens*) foliis setaceis, summo spataceo paniculam inferne obvolvente. *Roy. Lugbd.* 60. *Fl. Svec.*73. 74. *Dalib. Paris* 25.

Aira foliis setaceis, arista a basi glumarum calycem aequante. *Hort. Clif.* 495.

Gramen foliis junceis, radice jubata. *C. B. P.* 5. *Scheuch. gram.* 243.

Gramen sparteum variegatum. *C. B. P.* 5.

Habitat fere ubique.

172. AIRA (*praecox*) foliis setaceis, vaginis angulatis, floribus paniculato-spicatis, flosculis basi aristatis. *Hin. Scan.* 226. *Flor. Svec.* 2. *n.* 75.

Gramen minimum, spica brevi habitiora nostrum. *Scheuch. gram.* 219.

Gramen parvum praecox, panicula laxa canescente. *Raii. Angl.* 3. *p.* 407. *t.* 22. *f.* 2. *Pluk. Alm.* 177. *t.* 33. *f.* 9.

Fere ubique vivit.

173. AIRA (*caryophyllea*) foliis setaceis, panicula divaricata, floribus aristatis distantibus. *Linn. spec. Pl.* 14. *p.* 97.

Aira foliis subulatis, aristis a basi flosculorum

tortilibus, flosculo altero pedunculato. *Roy. Lugbd.* 60. *Dalib. Paris.* 26.

Gramen phalaroides, sparsa panicula, minimum angustifolium. *Barr. rar.* 1218. *t.* 44. *f.* 1.

Gramen paniculatum, locustis purpureo-argenteis annuum. *Raii. Angl.* 3. *p.* 407. *Moris. Hist.* 3. *p.* 200. *s.* 8. *t.* 5. *f.* 11.

Gramen paniculatum minimum molle. *Magn. Monsp.* 296. *Scheuch. gram.* 215.

Caryophyllus arvensis glaber minimus. *Bauh. Prodr.* 105.

Iuxta Tiberim et alibi.

MELICA

174. MELICA (*ciliata*) petalis exterioribus ciliatis.

Melica floribus orizontaliter patentibus. *Roy. Lugbd.* 57.

Gramen avenaceum montanum lanuginosum. *C. B. P.* 10.

Gramen avenaceum, spica simplici, locustis densissimis candicantibus et lanuginosis. *Scheuch. gram.* 174.

Multis in locis et signanter prope Templum D. Paule ad foveas.

175. MELICA (*barbata*) petalis integerrimis, flosculis rigidissimis, panicula multiplici barbata.

Collibus sterilibus.

176. MELICA (*nutans*) petalis imberbibus, panicula nutante simplici . *Linn. spec. Pl.* 2. *p.* 98.

Gramen montanum avenaceum , locustis rubris . *Bauh. Pin.* 10. *Prodr.* 20.

Gramen avenaceum, locustis rarioribus. *Bauh. Pin.* 10. *Prodr.* 20.

In montosis et saxosis.

P O A

177. POA (*aquatica*) panicula diffusa , spiculis sexfloris linearibus. *Dalib. Par.* 29. *Linn. Flor. Svec.* 73. 78.

Poa panicula contracta, spicis ovatis teretiusculis . *Roy. Lugbd.* 61.

Gramen palustre paniculatum altissimum . *Bauh. Pin.* 2. *Theat.* 38. *Scheuch. Gram.* 191.

Gramen aquaticum paniculatum latifolium. *Moris. Hist.* 3. *p.* 201. *s.* 8. *t.* 6. *f.* 25.

Ad rivulum Maglianae.

178. POA (*trivialis*) panicula subdiffusa , spiculis trifloris basi pubescentibus , culmo erecto tereti. *Dalib. Par.* 28. *Linn. Flor. Svec.* 78. 80.

Gramen pratense paniculatum medium . *C. B. P.* 2. *Scheuch. gram.* 180.

Habitat cum praecedenti.

179. POA (*angustifolia*) panicula diffusa, spiculis quadrifloris pubescentibus, culmo erecto tereti. *Dalib. Par.* 28. *Linn. Flor. Svec.* 77. 81.

Gramen pratense paniculatum majus, angustiore folio. *C. B. P.* 2. *Prodr.* 5. *Scheuch. gram.* 178.

Ad montem Marium.

180. POA (*pratensis*) panicula diffusa, spiculis quinquefloris glabris, culmo erecto tereti. *Dalib. Par.* 27. *Linn. Flor. Svec.* 76. 82.

Poa spiculis ovatis compressis muticis. *Roy. Lugbd.* 61.

Gramen pratense paniculatum majus, latiore folio. *C. B. P.* 2. *Scheuch gram.* 177.

(Vix specie differunt 170. 171. 172. 173.; sed potius variare inter se dici possunt.)

Habitat ad pratum Primae Portae.

181 POA (*annua*) panicula diffusa, angulis rectis, spiculis obtusis, culmo obliquo compresso. *Dalib. Par.* 28. *Linn. Flor. Svec.* 75. 83.

Gramen pratense paniculatum minus. *C. B. P.* 2. *Theatr.* 31.

Gramen pratense paniculatum minus rubrum. *I. R. H.* 522.

Fere ubique vegetat.

182. POA (*pilosa*) panicula patente stricta, ramificationibus primariis pilosis. *Linn. Spec. Pl.* 9. 100.

Gramen paniculis elegantissimis majus, locustis purpureo-spadiceis minoribus. *Scheuch. gram.* 193.

(Indiscriminatim *Gramicce* vocantur varietates omnes.)

Iuxta Tiberim. Gramina omnia a Num. 135. usque ad Num. 253. inclusive fere ubique in agro Romano vivunt.

183. POA (*eragrostis*) panicula patente, pedicellis flexuosis, spiculis serratis decemfloris. *Linn. Spec. Plant.* 11. *p.* 100.

Gramen paniculis elegantissimis minimum. *Scheuch. gram.* 192.

Gramen phalaroides sparsa Brizae panicula minus. *Barr. Icon. t.* 44. *f.* 2.

Vide Superiorem notam.

184. POA (*tomentosa*) panicula sparsa, pedicellis flexis, spiculis integerrimis tomentosis pentafloris.

Ad Tiberim.

185. POA (*compressa*) panicula secunda coarctata, culmo obliquo compresso. *Flor. Svec.* 74. 84. *Dalib. Par.* 28.

Poa spiculis ovatis compressis muticis, pa-

nicula secunda coarctata. *Act. Stock.* 1741. *p.* 184.

Gramen murorum, radice repente. *Bauh. p.* 2. *Prodr.* 2.

Gramen paniculatum, radice repente, calmo compresso. *Vaill. Par.* 91. *t.* 18. *f.* 5.

Multis in locis.

Aperiens et diluens.

186. POA (*nemoralis*) panicula attenuata, spiculis subifloris mucronatis scabris, culmo incurvo. *Flor. Svec.* 2. *n.*85.

Gramen sylvaticum, panicula tenui e raris locustis composita. *Dill. spec.* 57.

Gramen nemorosum, panicula laxa, radice repente. *Vaill. Par.* 90.

Gramen loliaceum alpinum, paniculis ex rarioribus et exiguis locustis compositum. *Mont. gram.* 39.

Gramen cirrhosa et villosa spongia ad singula genicula donatum paniculatum minimum alpinum. *Bocc. Mus.* 2. *p.* 70. *t.* 59. *(a)*

In locis dictis Fajola, monte Cavo et Nemi.

087. POA (*bulbosa*) panicula secunda patentiuscula, spiculis quadrifloris. *Linn. spec. Plant.* 19. *p.* 102.

Poa culmorum basi tuberosa. *Guett. stam.* 1. *p.* 168. *Dalib. Paris.* 29.

Gramen xerampelinum, miliacea pertenui ramosaque panicula, seu xerampelino congener arvense aestivum, minutissimo semine. *Lob. Illust.* 14. *Scheuch. gram.* 185. *(a)*

Gramen arvense, panicula crispa. *C. B. P.* 3. *Barr. Icon.* 703. *(b)*

Gramen arvense angustifolium, panicula densa foliacea, foliolis in panicula angustissimis. *Scheuch. gram.* 211.

Gramen vernum, radice ascolonica. *Vaill. Paris.* 91. *t.* 17. *f.* 8.

Ad montem Marium, ad montem Cavum, alla Fajola etc.

B R I Z A

188. BRIZA (*minor*) spiculis triangulis, calyce flosculis septem longiore. *Roy. Lugbd.* 63.

Gramen tremulum minus, panicula parva. *C. B. P.* 2. *Prodr.* 4.

189. BRIZA (*media*) spiculis ovatis, calyce flosculis septem breviore. *Roy. Lugbd.* 63. *Linn. Hort. Cliff.* 23. *Flor. Svec.* 80. 86.

Gramen tremulum majus. *C. B. P.* 2. *Scheuch. gram.* 204.

In montanis pratis.

190. BRIZA (*maxima*) spiculis cordatis, flosculis septendecim. *Roy. Lugbd.* 63. *Hort. Cliff.* 23. *Hort. Vpsal.* 20.

Gramen tremulum maximum . *C. B. P.* 2. *Scheuch. gram.* 202.

Habitat alla Fajola, a Grotta Lupara et alibi.

191. BRIZA (*eragrostis*) spiculis lanceolatis, flosculis viginti. *Linn. Spec. Plant.* 5.*p.* 103.

Briza panicula spicata, spiculis lanceolatis. *Guett. Stamp.* 1. 163.

Vniola calycibus diphyllis, spiculis ovato-lanceolatis. *Gron. Virg.* 136.

Gramen paniculis elegantissimis. *C. B. P.* 2. *Scheuc. gram.* 194. *Moris. Hist.* 3. *p.* 204. *s.* 8. *t.* 6. *f.* 52.

Gramen Eranthemum seu Eragrostis. *Barr. Rar. t.* 43.

Vivit ad montem Cavum et ad Palazzuolam.

192. BRIZA (*argentea*) spiculis ovatis flosculis tribus.

(Paniculae quatuor unciarum et ultra est altitudo. Spiculae vix duabus lineis longae sesquilineae latae, singulae triflorae. Culmus enodis, octo ad summum uncias altus. Panicula in perfeota maturitate est argentea; antea vero subargentea virens.)

Circa litus Ostiae Tiberinae.

DACTYLIS

193. DACTYLIS (*cynosuroides*) spicis sparsis secundis scabris numerosis. *Loefl. it.* 115.

Gramen maritimum, spica crassa dactyloide terminali, odore rancido, culmo albo. *Gron. Virg.* 135.

(Culmus arundinaceus bipedalis et tripedalis; calamus anterinus minor; crassa folia in culmo ad summum quatuor, et eo duplo longiora, hispida in margine, admodum scabra; spicae 5. 6. 7. 8. et ultra; secundae divergentes villosae, flosculis imbricatis latere postico teretibus; calycibus unifloris; carina scabris aristatis flosculo longioribus sessilibus; pistillis lanatis longissimis.)

Ad. litus Mediterranei prope Maccharese.

194. DACTYLIS (*glomerata*) panicula secunda glomerata. *Linn. Flor. Svec.* 1. *n.* 87.

Cynosurus panicula secunda glomerata. *Linn. Flor. Svec.* 2. *n.* 85.

Poa flosculis confertis uno versu dispositis. *Hort. Cliff.* 28. *Roy. Lugbd.* 62.

Gramen spicatum folio aspero. *Bauh.* 3. *Prodr.* 9. *Scheuch. gram.* 299. *Moris. Hist.* 3. *s.* 8. *t.* 6. *f.* 38.

Ad Tiberis ripas et ad campos etc.

CYNOSVRVS

195. CYNOSVRVS (*cristatus*) bracteis pinnatifidis. *Roy. Lugbd.* 64. *Hort. Cliff.* 493.

Gramen pratense cristatum seu spica crista-

ta seu spica cristata laevi. *C. B. P.* 2. *Prodr.* 8. *Scheuc. gram.* 79.

In pratis.

196. CYNOSVRVS (*echinatus*) bracteis pinnato-paleaceis aristatis. *Roy. Lugbd.* 64.

Gramen alopecuroides spica aspera. *C. B. P.* 4. *Scheuch. gram.* 80.

Gramen alopecurum spica aspera. *Barr. Rar. t.* 123.

In cultis et ruderatis.

197. CYNOSVRVS (*durus*) spiculis alternis secundis sessilibus rigidis obtusis adpressis. *Linn. spec. Pl.* 4. *p.* 105.

Gramen arvense, Polypodii panicula crassiore. *Barr. Rar.* 1213. *t.* 50.

In agrorum marginibus.

198. CYNOSVRVS (*coeruleus*) bracteis integris. *Roy. Lugbd.* 64. *Hort. Cliff.* 495. *Flor. Svec.* 82. 89.

Gramen glumis variis. *C. B. P.* 10. *Prodr.* 21. *Scheuch. gram.* 83.

Cum praecedenti et inter saxa.

199. CYNOSVRVS (*asper*) panicula subspicata, flosculis simplicibus biaristatis.

Panicum floribus conglomerato-spicatis laevibus, arista dimidio breviore. *Linn. Flor. Svec.* 54.

Panicum spica composita, aristis spica longioribus. *Roy. Lugbd.* 55. *(a)*

Panicum spiculis spicatis scabritiae adhaerentibus. *Linn. Hort. Cliff.* 27. *(b)*

Gramen Panicum spica aspera. *C. B. P.* 8. *Scheuc. gram.* 47.

Ad Ostia Tiberina (a) (b).

200. CYNOSVRVS (*aureus*) paniculae spiculis sterilibus pendulis, ternatis floribus aristatis. *Linn. Spec. Plant.* 10. *p.* 107.

Gramen Barcinonense panicula densa aurea. *T. I. R. H.* 523.

Gramen panicula pendula aurea. *C. B. P.* 3. *Theat.* 33. *Scheuch. gram.* 149.

Gramen Sciurum seu Alopecurum minus, heteromalla panicula. *Barr. Rar.* 1180. *t.* 4.

(Spiculae ternatae faetiferae, calyce bivalvi, valva una majori, minima altera, ambobus acuminatis involventibus glumas geminas subovatas bifidas.)

Inter saxa et ad ruderata montis Albani et alibi.

FESTVCA

PANICVLA SECVNDA

201. FESTVCA (*ovina*) panicula secunda coarctata aristata, culmo tetragono nudiusculo, foliis setaceis. *Linn. Flor. Svec.* 95. 91.

